ENCHIRIDION

DE

CURANDIS PUERIS

Auctore

P. ALOYSIO VALENTINI

ROMAE
Ex typographia Contedini 1857
Ad Thermas Agrippae

Ὁ γὰρ γόνος πανταχόθεν ἔρχεται τȢ σώματος, ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν, ὑγιηρός, ἀπό τε τῶν νοσερῶν, νοσερός. ἐι οὖν γίγνονται ἔκτε τῶν φαλακρῶν φαλακροὶ, καὶ ἐκ γλαυκῶν γλαυκοὶ, καὶ ἐκ διεστραμμένων στρεβλοὶ, ὡς ἐπὶ τὸ πλῆτος καὶ περὶ τῆς ἄλλης μορφῆς ὁ αὐτὸς λόγος.

Quum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, a sanis quidem sanum, a morbidis morbosum, fiatque ut ex calvis calvi gignantur, ex caesiis caesii, et plurimum distortus distortum generet, eademque ratio sit circa reliquas formas.

Hippocr. de aerib. aquis, locis XXXVI

AD LECTOREM

Libello, quem tibi offero, amice lector, descriptio et curatio praecipuorum morborum, quos patiuntur pueri, continentur. In hoc non invenies nisi Hippocratis psephismata, et quae practici magni nominis experti sunt, quaeque me longa edocuit medicinae exercitatio. Semper enim ab illis seorsim sentiebam, qui systematum, et distinctarum doctrinarum commenta temere sectantur, unde quorundam medicamentorum abusus,

in quibus exhibendis anceps est periculum, et illa tanta sanguinis effusio, unde funeribus Italia lacrymabilis contristatur. Quamvis manifesta sit veritas, huic tamen contumaciter obluctantur, et pro moribus consulunt, et quod mirabilius est, amplissimis se laudibus ornant, eorumque vicissim incredibilem ingenii magnitudinem extollunt, ut quotidie ad nauseam in diariis legitur. Dixit Praeceptor, totam medicinam in observationibus esse positam, et hoc principium in lib. de decent. orn. memoriae proditum est. Quocirca ejus doctissimi commentatores, et expertissimi practici aureis observationibus illam locupletarunt medicinam, quae dat hominibus, et non eripit salutem, sicut cecinit Ovidius Trist. lib. II. eleg. 1.

Eripit interdum, modo dat medicina salutem,
Quaeque juvans monstrat, quaeque sit herba nocens.

Consulte dixit Zimmermann Exp. med. lib. 3. Cap. 2. naturam per naturam esse exponendam, et quisquis hypothesibus eam velit exponere, videt per hypotheses ut objecta per suam bilem ictericus. Ibidem repetit, paucos naturam in ipsa natura perscrutari, paucos sequi filum quod ducit ad suam aedem, paucos qui magis naturae, quam propriis opinionibus adhaereant. Medici enimvero cujusvis memoriae, si, ut credo, genuinas observationes custodivissent, et a repertis scientiarum auxiliarium fructum cepissent, pretiosos thesauros haberemus, et praxin medicinae uniformem, et non dissimilibus doctrinis, et erroribus obrutam. Cum hoc persuasum mihi sit, Hippocratis

principiis innixus, quae servem dum anima mea spirabo, pauca quaevis sint scripsi, quae ad tuam benevole lector et alienam utilitatem confer. vale.

DE PUERORUM MORBIS

INTRODUCTIO

Cujusvis reipublicae vehementer interest frequentes in sinu, integroque corpore habere cives, et ad militiam, agrorum culturam, artes, publica, et privata negotia, diuturnamque vitam agendam bene compositos. Hoc idem in votis est cujusvis familiae. Antiquis temporibus in epithalamiis solemne et usitatissimum componebatur omen, ut ventura proles firma valetudine, infractisque viribus floreret, sicut legitur Ode LIV. Anacreontis

Κυπάριττος πεφύκοι σεῦ ἐνι χήπω.

Adveniat proles hortis ut culta cupressus. Quocirca medicorum est, puerorum salutem accurate tueri; ab his quantum licet repellere morbos, eosque curare. Cum in institutionibus medicinae practicae de pluribus puerorum morbis fuse loquutus fuerim, de

his aut verba non faciam, aut aliquid addam; sed paucis illos expediam de quibus disserere non fuit locus, ut de deformitatibus, de vitiis congenitis, pluribusque morbis, qui etiam ad chirurgiam spectant. Hisce vero aliquid praemittam, quod ad puerorum salutem conservandam, eorumque vires confirmandas, et multigenas dimovendas morborum caussas necessarium mihi videtur.

Ab ipso puerorum ortu incipiat medicorum solicitudo. In primis enim observandum est, utrum sit bona corporis temperies, et membrorum integritas; an monstruosus sit foetus, deficiat aliqua pars, et in partibus deformitas: utrum in ipso utero, et sub partu aliquid perpessus sit foetus; an post ad morbos dispositionem contraxerit. Cum in toto corpore integer sit et optime constitutus, praeter quae vulgo cognoscuntur, parentibus et nutricibus regulae et necessaria praecepta tradenda sunt, ut infantum sanitas conservetur. Si vero pueri laborent aliquo conformationis vitio, aut implicentur morbis, curandi sunt, ut ratio et experientia docet.

Ut de integra puerorum valetudine certiores simus, examen sit diligens, nec perfunctorie instituatur. Non enim sufficit vivacem inspicere infantem, bonum corporis habitum, rectamque partium compositionem; sed oportet inquirere utrum facilis sit respiratio, et deglutitio lactis; somnus qüietus et reficiens, utpote conditiones ad salutis statum cognoscendum apprime necessariae; an pueri orti sint maturo tempore, et a parentibus bene valentibus, et a matre nunquam sub gestatione vexata morbis, nec ab animi vehementibus affectibus exagitata. Dum autem scimus infantes esse integro corpore, faciendum quod vulgo notum est, nimirum funiculum umbilicalem incidere; syrupo de cichorio cum rhabarbaro, aut savonea mannata; aut sero saccharo edulcorato rejicere meconium, quod si retineatur plurium esse potest morborum caussa; os pueruli abluere linteolo aqua tepida madido; eadem aqua abluere puerulum, et abstergere. Si forte vulnus funiculi aegre sanetur, applicentur pulvilli vino calido perfusi. Si autem in hac parte aliqua exurgat carnosa fungositas, et

facile stillet sanguis paullulum aluminis usti spargere juvat, et super mollia ponere splenia fascia devincta. Hac ratione formatur crusta, quae sponte delabitur. Saepe in recens natis tardae sunt egestiones, et ad eas concitandas fieri solent super abdomen unctiones oleosae, aut frictiones cum mollibus pannis laneis, ne a primis vitae temporibus usui internorum remediorum assuescant. Si vero haec simplicia et externa auxilia non sufficiant, ut evitentur incommoda quae ab alvi segnitie proficiscuntur, aliquod leve laxativum exhibeatur.

Puerulus unius diei spatio absque nutrimento morari potest; nihilominus post aliquot horas sinui matris est admovendus, ut promoveatur secretio lactis, et eleventur papillae, quod ad expediendam lactationem maxime confert. Praeterea qualitates solutivae lactis ad facilem et expletam meconii egestionem mirum in modum contribuunt. Matres autem quae prolem alunt, apte nutriantur; nimirum post partum optimo jure pulli, et jusculis: postea copiosior sit victus; ut tenerae carnes, potissimum juvenis et

bene pastae gallinae, aut lactentis vituli, dummodo nihil sit quod eum vetet. Matres debent proli ubera porrigere, si nulla ratio lactatum impediat. Quae sine ratione hoc sacrum munus renuunt, libystidis ursae habent pectus, et forsan deterius. De hoc non amplius dicam, quia gravissimi et doctissimi scriptores, ut omnibus notum est, in istas inhumanas genitrices nervoso eloquio usi sunt. Hae admonendae, et si verba non sufficiant, juvat eas perterrefacere, et sub oculis ponere gravia mala quae subrepunt, et minitantur quae proli ubera non admovent, ut sunt tenaces, molestae, et non sine periculo hystericae affectiones; dolores glandularum, et ossium; leucorrhoeae; scirrhi, et cancri; convulsiones; etc. Aliquando pueruli lac matris fastidiunt, quamvis sit juvenis, bene enutrita, secunda gaudeat valetudine, et optimas lac qualitates praeseferat. Hoc quidem raro evenit; sed longa medicinae exercitatione observavimus; ideoque commemorare non linquimus, ut nulli ignotum sit. Hujusmodi phaenomenon non aliter explicari potest, quam per illam

ignotam et ingenitam proclivitatem, qua interdum eliguntur deteriora et respuuntur meliora. Hoc in casu alia nutrice alendus est infans, cujus lac sit ipsi pergratum; dum mater alium lactare debet puerum, aut lactis separationem consideratissime cohibere. Primis sex vitae mensibus solum lac praebeatur puerulo, et ubi aut per adjuncta, aut per aliquod vitium lac deglutiri non potest, pluries in die parvi ex lacte injiciantur clysteres, et etiam fiant balnea lactis. Post autem sextum mensem bis in die suppeditetur papparium. Cum mater aut nutrix lacte nutriant infantem; detur lactis aequa mensura, ne nimium sit nec parcum. Quamobrem non dandum est lac toties quoties puerulus luget, ut generaliter fit, sed cum cognoscatur illius fames. Etenim utile est illum docere de die et certis horis ubera sugere, quod non tam arduum est, ut vulgo creditur. Hoc quidem non subito assequimur, sed sensim sensimque, quia humana natura per se ipsam propendet ad methodum. Ergo satis sit quinquies aut sexies interdiu largiri lac; quod cum noctis quies

non abrumpatur, et matri et puerulo commodum est. Hic autem cum lac suxerit, ponatur ad cunas, ut placide dormiat. Mater aut nutrix modo dexteram, modo sinistram mammam porrigat, ne uni positurae assuefiat infans, et etiam utroque brachio sustineatur. Ad apertum respirandum aërem feratur aptis horis, nimirum circa meridiem; in amplo et salubri cubiculo retineatur, ubi purus et calidus sit aër, et nunquam in hoc accendantur carbones, ut gravia amoveantur mala, quae ab exhalatione gas acidi carbonici nascuntur. Caute etiam pueri exponendi sunt actioni frigidi aëris, ut sine consilio faciunt, qui hoc modo arbitrantur, eos aëreis vicissitudinibus assuefacere. Corpus est aqua tepida abluendum; caput cum aqua tepida et sapone, si a sordibus sit expurgandum. Hiemali tempore dum sordida lintea permutantur, munda subrogentur, aliquantisper tepefacta.

Plures sunt summorum practicorum opiniones circa tempus ad quod producendus sit lactatus. Alii enim ad annum; alii ad annum cum dimidio; alii etiam amplius cre-

dunt. Hoc vero, ut mihi videtur, praefiniri nunquam potest, cum a pluribus rebus circumstantibus dependeat. Si infantes nascantur debiles, tenuique valetudine, longiore indigent lactatu; siquidem uno anno nati propter corporis infirmitatem papparia concoquere nequeunt. Si qua generalis statuenda sit regula, a mammis disjungendi sunt pueri, cum omnes fere dentes eruperint; et haec disjunctio paullatim fiat, ut ad sumenda alimenta, et ad horum coctionem absolvendam disponantur, et facilius privatio lactis toleretur. Inquit Hippocr. de dentitione II = τὰ παρεσθίοντα ἐν τῷ θαλάζειν, ῥᾷον φέρει ἀπολακτισμόν. Qui dum sugunt interim cibum absumunt, facilius ablactatum ferunt. = Alimenta puerorum post lactatum, sunt papparia aut ex aqua et saccharo parata, aut ex jure carnis. Etiam in primis sumendis alimentis ordinem observent pueri; scilicet ipsis de die ministrentur alimenta; noctu, si fieri potest, nec edant nec bibant, sed dormiant. Paullatim autem augeatur victus, et praeter papparia concedantur ova recentia sorbilia, et alimenta lacte pa-

rata. Deinde cum grandiores sint, concedantur tenerae carnes; panis ex frumento bene coctus; aliquis maturus fructus horaens; et etiam tantillum vini. Attentissime vero alimenta dulcia, pinguia, acida, legumina, et stomacho haerentia evitentur.

Inter curas, quae haberi debent in educendis pueris, est moderari lucem, quae nimirum nunquam super eorum caput, aut ad latera cadat, sed aequaliter versus utrumque oculum, ut removeatur strabismus. Praeterea in cunis cubent pueri capite magis elevato quam reliquum corpus, et modo super dextrum, modo super laevum latus revolvantur. Cum autem pueri secundum naturae institutum multum dormiant, ad voluntatem requiescant. Aut vigilent, aut dormiant semper mundities servanda est, quae ad eorum tuendam valetudinem maxime conducit. Repellatur quidquid terrorem incutiat, aut importunam inducat impressionem, ut ex improviso a luce ad tenebras, aut è tenebris ad lucem transilire. Benevalentibus pueris valde prosunt balnea frigida; quae vero nunquam temere fiant. Incipiendum enim est a

frigidis ablutionibus, ut ad actionem frigoris perferendam ordinentur; deinde ad frigida balnea transeundum; sed observetur utrum utilia sint. Ipsi pueri indicant balneorum frigidorum emolumentum dum sunt hilares, rubri, vigentes. Caput recens natorum ita tegatur, ut custodiatur fontanella; et nunquam pectus et abdomen comprimatur fasciis. Prodest ipsis exuere fascias, ut per aliquod tempus motuum libertatem habeant; nimirum sugant ubera in sinu matris, nec statim post sumptum lac fasciis involvantur. Tantum enim libertas digestionem adjuvat, quantum nocent ligamenta.

Cum genetrix propter aliquam caussam prolem lactare non possit, oportet eligatur bona nutrix. In hoc etiam multa requiritur diligentia; et non possumus nisi repetere quae accurati practici docuerunt, inter quos Sammarthanus in paedartrophia lib. 1. pag. 62. cecinit =

Elige quae media est inter juvenemque senemque,
Quae gracilis nec macra tamen cui vividus oris
Est nitor et sano veniens in corpore robur,
Brachia longa, patens pectus, proceraque cervix.=

Conveniunt omnes, nutricem esse debere optimae constitutionis, inter viginti et triginta annos natam, bonis animi qualitatibus ornatam. Praeterea non plus quam bis dederit prolem; ejus partus conveniat cum aetate educendi pueruli; ejus ubera habeant satis voluminis, et tactui obluctentur; papillae sint congruae mensurae, firmae, et contrectatione eleventur, et durescant. Quamvis vero nutrix omnibus hisce gaudeat proprietatibus observandum est, an infans lac sugat, et hoc demonstret acceptum habere. Frequenter in orphanotrophiis videre contingit plus unum pueris quam aliud lac esse gratum, etiamsi omnes nutrices sint benevalentes et in aetatis flore. Praeter autem examen super nutricum proprietatibus, etiam lac est accurate expendendum. Etenim bonum lac est album, dulce, inodorum, consistentiae et coagulationis convenientis. Quocirca non probandum est lac si valde coaguletur, et multum suppeditet cremorem. Ut autem congruenter examinetur lac, ab aliquo tempore jejuna sit nutrix, et in argenteum cochlear, aut in nitidum vitrum

illud ipsa nutrix stillet, ut perspiciatur, an expositas qualitates possideat. Si lac abundet sero parum nutrit; si parte caseosa aegre digeritur.

Cum selecta fuerit nutrix, quaedam tenendae sunt regulae, ut ejus et infantis salus conservetur. In primis alimenta sint nutrientia, salubria, concoctu facilia, simplicia, et aromatibus non aspersa. Curandum est ut nutrix regulares habeat et faciles egestiones; quotidie ambulet aperto aëre et sereno; consideretur quanta sit separatio lactis, quae si exuberet, minuantur alimenta, aut non adeo sint nutrientia, ut a pueris removeantur cruditates. Regula igitur generalia sit, quod nutrix nunquam gravetur cibo, nec ei necessarium deficiat. Est autem quaestio non adhuc praefinita, utrum nutrici permittendus sit coitus. Non refero opiniones satis notas; sed solum dicam alios noxium censere coitum, et non concedendum, alios innoxium. Ego autem quamvis sentiam melius esse nutrices se a copula abstinere, tamen dico, esse perferendam, si ipsae sint in viridi juventa, et ad venereos amplexus

proclives, quibus absolutam abstinentiam nocuam existimo. Inquit Platner dissertat. de victu et regimine lactentium = Certum est occulta desideria pejora et magis noxia esse, quam plena honestarum foeminarum gaudia, et rarum moderatumque veneris usum. = Admonendae autem sunt nutrices, ne statim post sumptum alimentum, nec sub vehementibus animi pathematibus, aut paullo post rapidas commotiones, lac praebeant pueris; quippe observationes satis superque confirmarunt, lactentes pueros post iram aut terrorem, aut violentas animi agitationes, epilepsia correptos fuisse, vitamque deseruisse.

In quibusdam locis, et in quibusdam circumstantiis omnino desunt nutrices. A nonnullis practicis etiam doctissimis putatur, nutricum lacti illud caprarum, vel vaccarum, aut farinacea pulmenta sine ullo periculo posse supplere. Hoc quidem fieri potest, et hoc modo plures fuerunt feliciter educti; sed pleraque puerorum pars moritur, aut infirma manet. Inquit Hippocr. de dentitione III = τά μὴ εὔτροφέα τῶν θηλαζόντων ἄτροφα καὶ δυσανάληπτα. Sugentes non

probe aluntur, macilenti fiunt, et aegre vires recolligunt = Ut defectui humani lactis commode sufficiatur, ad lactandum aptum instrumentum adhibetur, in quod lac caprinum et vaccinum infunditur cum pauca aquae et sacchari quantitate. Etiam in usum venit ampulla vitrea cum rostro, in qua cum lacte aqua pura et tepida miscetur, ut illud tepidum reddatur. Generatim aquae ratio ad lac sit quartae partis. Lac ita praeparatum in os puerorum leniter immittitur. Eodem tempore dantur papparia ex pane albo et vario modo composita. Frequentius vero componitur pulmentum ex pane albo, integra aqua fontis, et pauco sale: deinde cum est fere coctum, immiscetur tertia pars lactis, et pauxillum exponatur igni. Hoc mane et vespere dari solet.

Quantum per nos licet facere debemus, ut tandem aliquando linquatur fasciarum usus. Apud aliquot familias, quibus hoc potui persuadere, crescere video pueros, robustos, alacres, bene alimenta digerentes, in motibus corporis expeditos. Si hoc penitus obtinere non possumus, permittamus circa ven-

trem adhibere fascias, quae aliquo modo ad sustinendam funiculi extremitatem, et herniam umbilicalem praeveniendam utiles sunt, donec satis restringatur anulus ex se ipso herniam impediens. Monendae saltem sunt matres et nutrices, quae fascias relinquere nolunt, ne nimis constringantur, ut non impediantur membrorum motus, quorum libertas puerorum saluti utilissima est. Laxae ergo sint fasciae, et extremitates superiores maneant solutae, ut saltem imminuantur incommoda. Ita abrogandae sunt cunae quae transactis temporibus erant in usu; et inhibenda rapida cunarum agitatio, quae non dulcem et utilem somnum, sed stuporem, aut soporem inducit. Illae adoptandae sunt cunae quae leni oscillatione blandam conciliant quietem. Quaedam nobilis mulier, quam ad hujusmodi cunas arrogandas induxi, mihi nuper exprobabat, quod suum puerulum non facile dormiebat; sed paullatim vidit ut in placidum somnum oculos declinabat, bonamque corporis habitudinem acquirebat.

Cum tempus dentitionis appropinquet, et jam dentes egrediantur, imminui debet la-

tatus, quia hoc tempore perturbantur digestiones, et contingunt frequentes vomitus, aliaque molesta symptomata. Insuper illinian-tur gingivae aliqua mucilagine, aut butyro cacao: dentium exitus juvetur aliquo scabro corpore, quod datur puerorum manibus te-nendum; sed cavendum ne se offendant, maxime oculos. Cum puer satis roburis ha-beat in musculis, ambulationem docendus est. Ampla autem pueris concedatur liber-tas, sese super pavimentum revolvere, quod quidem majorem corpori agilitatem largitur. Levibus induantur vestibus, et primo tran-sacto anno detectum teneant caput. Ad cor-poris servandam munditiem balnea tepida, aut subtepida frequenter fiant. Victus sit simplex, levis, et satius est inter initia vi-tare carnes. A pluribus practicis decretum fuit, aptam puerorum potionem esse puram et simplicem aquam; sed mihi videtur hoc tam generatim statui non posse. Etenim pro robustis et benevalentibus pueris aqua sim-plex est naturalis et optima potio; sed mi-nime pro debilibus, pallidis, ad vermes di-spositos, quibus exigua vini quantitas pul-

cherrimum medicamentum est. Detur cibus quater de die ; sed non semper eadem hora , ut a pueritia alicui ordinis variationi se aptent , quia saepissime in vitae cursu vicissitudines sunt ferendae. Somnus puerorum naturaliter productus octo aut novem horas non superet. Nunquam dormiant cum senibus , quod eorum saluti maxime nocuum est.

Pueris aetate procedentibus , ut bene membra evolvantur , corroborentur vires , praesertim si sani sint , et a parentibus sanis nascantur , aliqua in ratione aetatis et virium gymnastica exercitatio pernecessaria est. Teneri pueri longas ambulationes non sustinent ; aliqua ergo mora temperentur. Mane est tempus ad ambulandum aptius; et magis apposita hora est inter jentaculum et prandium. Augeantur autem exercitationes progrediendo , cum nempe majores musculi vires , et majorem ossa consistentiam adipiscantur. Pueri benevalentes secundum naturam nunquam defatigantur , et ad cursum et ad motus violentiores inclinant ; sed hujusmodi naturalis dispositio moderanda est. Praeter ambulationes pilae ludus eorum saluti

utilis est. Haec enim exercitatio glandularum congestiones discutit; somnum recreantem advehit; digestionem, et chyli distributionem expedit. Apud veteres haec erat usitatissima exercitatio; sed plures erant species, nec omnes accommodae pueris; videlicet follis aut pugno aut brachiale jaciendus: pila qua etiam hodie ludunt pueri: paganica, nempe pila instructa plumis, nostrae pilae volaticae similis: harpastum, aut ludus quo magna pila in terram immittebatur, quam quisque ludens ludentibus auferre nitebatur. Cum institutio puerorum esse debeat physica et moralis, curandum est ut utraque sit aetati conveniens. Pueri qui ad adolescentiam accedunt, dum literis student vario exerceri possunt modo, ut chorea, gladiatura, equitatione, exercitiis militaribus, ut validi et instructi cives, et patriae parati defensores formentur. Tam enim utilia sunt hujusmodi exercitia, ut per haec musculorum, cordis, arteriarum adaugeantur vires, et per minima et magis elastica vasa circulatio sanguinis alacriter absolvatur. Deinde ita educti adolescentes sunt vivaces, robustiores, la-

certosi, expedite concoquunt alimenta, omnibus secretionibus et excretionibus gaudent, et propter liberam respirationem, et perspirationem integerrimus circulat sanguis. Ex adverso desidia marcescentes sunt pallidi, graciles, aut, si ciborum appetitus non desit, pingues; sed massa boni sanguinis non conficitur. Cum summopere variae sint hominum conditiones, non possunt universim institutionis regulae adsciscі. Filii pauperum citius quam decet laborare coguntur, et in laboribus tenera membra ponunt vires excedentibus: filii divitum omnium rerum copia diffluentes in mollitiem labuntur, et dolosis mundi voluptatibus alliciuntur. Quaevis vero sit hominum conditio, quaevis sors prospera vel infelix, medicorum est admonere quod ad puerorum salutem conducibilius videtur.

Antiquis temporibus puerorum et adolescentium institutio praecipue in gymnasticis exercitationibus et in aperto aëre consistebat; ideoque homines erant robustiores, nec repentinis aëris vicissitudinibus afficiebantur, nec ad morbos qui oriuntur a de-

bilitate corporis, et nimia sensibilitate nervorum propendebant. Hoc tam verum est, ut nos sicut veteres experientia doceamur non solum per gymnasticas exercitationes roborari corpora, sed etiam plures, gravesque morbos emendari. Celsus inter veteres ad curationem morborum plurimi corporis exercitationem faciebat. Sydenham inter medicos non vetustae memoriae, ut praecipuum remedium in podagram et phthisin exercitationem habebat; quam et in morbos spiritus Hoffmann commendabat. Si ergo corporis exercitatio ad conservandam hominum salutem tam expedit, ubique terrarum constitui loca pro exercitiis praesertim militaribus deberent, ut hac etiam ratione populus ab otio, et vitiis turpibus removeatur.

Antequam sermoni de salutis conservatione puerorum finem faciam, utor permisso summorum practicorum praescripta paucis repetere. In primis pueri dormiant in cubilibus perflabilibus et perlucidis, frigidulis, non humidis; nunquam cubent in lectis mollibus, sed duris et consistentibus, sicut sunt qui crinibus equinis inferciuntur, ut magis

magisque constitutio corporis roboretur; nunquam permittatur, lectos calefieri, nec conopoeis instrui; in somno plus caput elevetur, quam corpus, quod extendatur ad horizontem, sed potius super latus, quam super dorsum; extremitates superiores, et inferiores aliquantum inflectantur; admonendum ne pueri dormiant diducto ore, quod inficit dentes, et os et fauces exsiccat. Hisce in antecessum adnotatis, descendamus ad vitia conformationis, et puerorum morbos, qui nisi cognoscantur, et recte curentur, fieri possunt lethales, aut venturam vitam infaustam reddere.

Anteaquam hanc tractationem suscipiam quaedam sub oculis ponam. Primum morbos nullius momenti obstetricibus, et phlebotomis relinquo, ut pneumatocele, seu hernia ventosa, quae applicatione linteorum vino calido madidorum dissipatur; decorticationes circa clunes, quae lotionibus aquae tepidae removentur, aut unctionibus butyri vel mucilaginum curantur; contusiones, vini fomentationibus resolvendae; maculae rubrae in facie, collo, manibus, et pedibus, et

vesiculae sero pellucido plenae sponte evanescentes; humiditas retro aures stillans, quae etiam ultro exsiccatur; exiguae et albae vesicae in ore puerorum, quae ut vanescant pluries ope linteorum aqua et aceto madefiunt. Dum vero haec praetermittimus, sedulo medici intendant mentem, ne in istis levibus curandis morbis aut obstetrices, aut phlebotomi errores patrent, interdum graves. Ut aliquod adducam exemplum, aliquando sine necessitate adhibetur cerussa, quae damnum puerulis afferre potest. Dum Taddei de hac loquitur repertor. Tom. 1. pag. 162. inquit melius esse medicos nullius famae majore consideratione cerussam in curatione plagarum post decubitum gravium morborum adhibere; aut matres et nutrices in illis erosionibus, quae propter negligentiam, et munditiae defectum, circa nates, coxas, partesque genitales puerorum contingunt. Item si appareant maculae rubrae in facie, aut in aliis partibus, non permittatur quod actioni frigidi aëris exponantur pueri, ne eveniat macularum retrocessio. Ita periculosum esset humiditatem retro aures stillan-

tem exsiccare, quae ad alias partes transferri posset.

Secundo animadvertam quod in exponendis puerorum morbis nec veterum nec recentiorum sequar systematicam doctrinam, sed quae ratione et experientia docentur. Quavis enim doctrina semper aliquid continetur, quod suscipi non potest. Jamdudum credebatur pleraque infantilium morborum pars ortum habere ab aciditatibus primis viis collectis, quae digestionem perturbant, lac coagulant, aliaque plura pariunt incommoda, quod a recentioribus negatur. Si vero in curatione horum morborum tam saepe juvent absorbentia, negari non potest interdum etiam in caussa esse aciditates. Sic ante doctrinam controstimuli putabantur morbi ut plurimum oriri ab asthenia, ideoque stimulantibus aut permanentibus aut diffusilibus curabantur, dum potius deprimentibus tractari debebant. E contrario sectatores controstimuli morborum originem ducunt ab hypersthenica diathesi, et existimant curandos esse deprimentibus, qui potius exposcerent stimulantia. Dum vero praepostera linquimus systematum

principia spondemus reperta aut utiliter excogitata non esse praetermissuros. Hisce positis, animadvertimus quod in omnibus casibus observandum est, puerorum temperamentum; constitutio corporis; origo a parentibus sanis, vel infirmis, vel aliqua diathesi laborantibus; irritabilitatis et sensibilitatis gradus, quia sub nimia irritabilitate vergunt pueri ad affectiones spasmodicas et convulsiones, sub nimia sensibilitate quaevis remedia, etiam nullius efficaciae ingentes pariunt effectus. Tandem persuasum nobis sit, plures puerorum morbos vel a pravis lactis qualitatibus, vel ab irregulari nutricum vivendi ratione, vel importuna corporis refrigeratione, dentitione, vel educationis culpa pendere.

DE CONFORMATIONIS VITIIS ET DE MORBIS CONGENITIS

CAPUT I.

DE FRAENULO LINGUAE

Cum infans in lucem venerit in primis videndum utrum sit sanus, an aliquod conformationis vitium, et aliquem morbum patiatur. Praeclarum adversae valetudinis signum dant assiduus ploratus, inquietudo, vigilia, nulla lactis deglutitio, uberum fastidium, papillas ore sumere et confestim linquere. Tum hujus incommodae valetudinis inquirenda nobis caussa est. Scimus inter frequentia conformationis vitia aut esse fraenuli linguae brevitatem, unde arcte adhaerens lingua nec potest versus labia extendi, et palato admoveri, et ita impeditur quominus puer lac sugat; aut esse fraenulum usque ad linguae apicem productum, unde celeritas motuum linguae aufertur, quae ad lac sugendum requiritur. Curatio hujus vitii frae-

nuli recisione continetur. Fraenulum est subtilis membrana paucissimis vasis sanguineis instructa, et ideo parum sanguinis incisione effunditur; tamen haec accurate fiat, ne majora vasa, et salivales ductus laedantur. Itaque non plus quam decet retrorsum extendatur, ne arteria ranina vulneretur, quod pluries attulit funestum accidens. Quapropter acutam aciem non habeant forfices. Si nimis profunda fiat incisio puer in sugendo retrofert linguam, quae cum libera facta sit, super glottidem imponitur, animamque intercludit. Praeterea cum propter vulnus non solum arteriae raninae, sed etiam venarum raninarum, et exiguorum vasorum contingat haemorrhagia, per continuum pueri suctum esse potest fatalis. Narrat Richerand Nosograph. chirur. puerum post viginti quatuor horas a fraenuli recisione mortuum esse, et repertum fuisse stomachum sanguine plenum. In chirurgiae fastis alia plura similia leguntur exempla. Aliquando etsi fraenulum bene sectum fuerit, non potest puer ubera sugere, sed hoc evenit quia linguae motus quibusdam ligamentis impediuntur, videlicet

quibusdam membranis interdum in uno tantum latere constructis, quae statim sunt incidendae. Ex hac incisione haemorrhagia sequitur; sed aut digitorum compressione, aut applicatione nivis facile cohihetur.

CAPUT II.

DE COMPRESSIONE CAPITIS

Multa sub difficili et laborioso partu patiuntur pueri; inter quae est capitis compressio, qua caput ipsum deformatur; sed persaepe ad ejus naturalem restituendam figuram sufficiunt naturae vires, ut plurimae observationes confirmant. Si igitur tam efficax sit naturae actio, admonendae sunt obstetrices ne temere, et vario modo comprimant caput, ex quo perniciosa mala consequi possunt.

Interdum dum oritur infans ossa cranii nonnihil disjuncta deprehenduntur, et ideo fontanellae magis extenduntur. Hoc vitium non ab alia caussa quam a tarda ossium formatione versus suturas et prope fontanellas

dependet. Solum cavendum est, ne haec regio laedatur, quia natura ipsa conjungit ossa. A divisione vero ossium non raro producitur hernia cerebri, de qua sequenti capite loquemur. Propterea applicentur compressae aliqua decoctione adstringenti madidae, et crassa charta fontanellae operiantur.

CAPUT III.

DE HERNIA CEREBRI SEU ENCEPHALOCELE

Cerebrum ad herniam propensionem habet. Si ergo hoc viscus agat ubi absoluta ossificatio non fuerit, egredi incipit. Huic propensioni opponitur ossium durities, quae etiam auget fontanellarum resistentiam, diu in statu cartilagineo manentium. Duae sunt herniae cerebri species, una puerorum quae contingit prius quam ossium structura perficiatur; alia quae aut a demolitione alicujus partis cranii, aut trapani operatione, aut fortuitis violentiis, aut morbis proficiscitur: sed nos dumtaxat de congenita puerorum hernia loqui debemus.

Duae sunt formae herniae congenitae. In una pericranio hernia tegitur; in alia desunt respondentia capitis indumenta, et interdum etiam dura mater, quod videlicet constituit conformationis vitium. Hernia recens natorum ut plurimum nascitur ab imperfecta cranii ossificatione prope fontanellas et suturas. Cognoscitur a tumore molli, rotundo cum pulsatione perfecte pulsibus respondente; et sine ulla in cute alteratione coloris. Hernia ex imperfecta ossificatione cranii, et pericranio tecta, constanti et modica compressione curanda est. Oportet itaque fulcire fontanellas, idque fit cooperiendo caput recens nati, et aequabiliter premendo loca, ubi ex cranii aperturis exit cerebrum, et haec pressio instituitur modo, qui aptior creditur. In alia vero forma cum magnae partes cranii deficiant, et integumentorum capitis, ingens observatur cerebri tumor. Si hernia primae formae sit levis, sua etiam sponte sanatur; sed si considerabilis sit tumor, et ovi gallinae referat volumen, incurabilis est.

CAPUT IV.

DE OSSIFICATIONE FONTANELLAE ANTERIORIS

Fontanellae secundum naturae institutum sunt membranae in eodem statu diu manentes, ut cerebrum sine ullo impedimento possit explicari. Aliquando tamen nascuntur pueri cum absoluta ossificatione fontanellae anterioris. Pueri hoc vitio affecti sine dubio pereunt; nam lethalibus convulsionibus implicantur, sicut observata confirmant. Pasqualis Leonardi Cattolica interpres Celeberr. Baudeloch artis obstetr. Tom. I. pag. 178. refert ter observasse hujusmodi vitium, et affirmat esse certum signum brevis vitae puerorum.

CAPUT V.

DE OBTURATIS NARIBUS

Vario modo in infantibus obturantur foramina narium; modo scilicet a membrana quam secum gerunt, et tum scalpellum angustae

laminae oportet inducere retro nasi lobum et a parte anteriore ad posteriorem membranam incidere, et postea dilatantibus servanda est apertura donec absoluta sit vulneris cicatrix; modo cartilagines pinnarum cartilagini adhaerent septi, et tum ope scalpelli illae sejunguntur a septo, et postea inter separatas partes ponuntur dilatantia. Obstructio vero narium formatur etiam a congesto mucco quo aëris transitus impeditur, unde puer non potest ubera sugere, et aperto ore quiescit. Necesse est liberam respirationem reddere; et hoc fit in nares subtilem inducendo plumam oleo illitam, qua non solum nares illiniuntur, sed etiam excitantur sternutamenta, quibus expellitur muccus.

CAPUT VI.

DE OCCLUSO MEATU AUDITORIO EXTERNO

Occlusio meatus auditorii externi nonnunquam est conformationis vitium quod fertur ab ortu. Modo enim membrana orificium externum claudit; modo obseratur canalis.

cartilaginearum et ossearum parietum propinquitate; modo firma substantia repletur. Ex omnibus istis caussis consequitur surditas. Si caussa sit simplex membrana canalis orificium occludens, ad modum crucis inciditur; deinde specillum intromittitur, et curatur ut fiat fragmentorum cicatrix. Si vero membrana est intra canalem, scalpello arctae laminae, usque ad mucronem tela linea obvoluto inciditur, sed cavendum ne tympani membrana caedatur. Incurabile autem est vitium, si caussa sit parietum proximitas. Si in canali densa congeratur substantia, chirurgia docet hanc acu triquetra tollere. Interdum meatus auditorius solum restringitur, quod non perfectam surditatem inducit. Si hoc pendeat a parte ossea, curari non potest; sed si a parte cartilaginea ope turundarum dilatationem canalis assequi possumus, quae quotidie majores introducantur.

CAPUT VII.

DE INTERCLUSIONE ORIS

Quidam scriptores de interclusione oris loquuntur; alii dubitant, an unquam fuerit observata; alii ne verba quidem faciunt. In hac ambiguitate, si quis forte hujusmodi interclusionem observaret, incidendum est ubi solet esse oris hiatus. Quin vero contingat contractio oris indubium est; nempe inter labia exiguum intervallum. Verum haec contractio symptomatica est, et ut plurimum est symptomata affectionum spasmodicarum, potissimum spasmodicae constrictionis musculi orbicularis. Ut itaque haec rite curetur, semper remedia in primarium morbum eligantur. Quapropter si sit symptomata spasmodicae affectionis musculi orbicularis interna et externa antispasmodica auxilia conveniunt.

CAPUT VIII.

DE CAECITATE CONGENITA

Caecitas congenita nascitur ab obscuritate corneae, quae post parum temporis sponte diluitur; cum scilicet cornea naturalem splendorem acquirit. Obscuritas vero ejus centri difficilius dispergitur. Interdum hujusmodi caecitas permanet; siquidem extat scrophulosa diathesis haereditaria, quae non solum corneae obscuritatem fovet, sed etiam, quia palpebrae tument, et purulentae materiae quantitas secernitur, tumefacit corneam ipsam, et visio omnino deperditur. In hoc casu interna et externa remedia sunt usurpanda ad serophulosam diathesin efficacia, de quibus dum de scrophula et de ophthalmia puerorum sermonem habebimus, mentionem erimus facturi.

CAPUT IX.

DE LABRO LEPORINO

Fissio labrorum, sed ut plurimum labri superioris, dicitur labrum leporinum. Saepius autem hujusmodi fissio in medio quam versus labri angulos contingit. Hoc vitium aut est simplex aut duplex. Inquit Heisterus Instit. Chirurg. Tom. I. Cap. LXXV. = Quandoque ut ipse etiam aliquoties vidi, duplex figura in uno eodemque labro adest, quae aliquando literam M. fere repraesentat, et tunc labrum leporinum appellari solet. = Aliquando etiam finditur maxilla superior, et ossa quae palati fornicem constituunt. Hujus vitii deformitatem prostantes dentes et marginis alveolati prominentia adauget. Praeter autem deformitatem hoc vitium plures affert noxas, ut est in infantibus difficultas, et quandoque impossibilitas sugendi lac; in pueris impedimentum bene exprimendi verba, et libere edendi sputa. Necessaria est ergo chirurgica operatio, quae fieri debet cum puer hanc perferre possit, et partes molles

majorem habeant firmitatem. Etenim si hae partes satis firmae non sint, filo, acubusque facillime lacerantur. Praeterea operationi obstat difficultas per tres aut quatuor dies removendi puerum a materno sinu; nec non assidui fletus. Quapropter usque ad finem secundi anni, cum facilius conglutinantur partes, operatio est protrahenda, qua ita corrigitur deformitas, ut vix hujus remaneant vestigia. Ossa palati modo in duas aequales partes, modo inaequales dividuntur. Si divisio est in medio palati non raro usque ad uvulam pervenit. Pueri non possunt haurire lac, et ideo in oesophagum lac artificialiter indere necesse est. Pauci ab hoc infortunio liberantur. Fissio ossium palati semper in parte anteriori arctior est.

CAPUT X.

DE HYDROCEPHALO

Hydrocephalus aut exterior aut interior est. Exterior est inflatio capitis sine rubore, quae cedit pressioni digitorum; et etiam di-

citur oedema partis capillatae capitis. Hic morbus aut tempore partus, aut paullo post gignitur. Hydrocephalus interior est collectio aquae in ossea theca, aut inter membranas cerebri, aut in hujus visceris ventriculis. Cranium semper magis extenditur, et aliquando portentosam et incredibilem magnitudinem attingit. Inquit Sauvages Nosol. method. Tom. II. pag. 496. = Sunt hydrocephalici quorum caput portentose tumet, ita ut residuo corpori praeponderet, et simul est fere totum pellucidum et molle quale hic non dudum vidi; illi ad annum unum aut alterum prorogasse visi sunt, lac nutricis apprime sugentes, de cetero somnolenti, vix sentientes, stupidi. = Pueri aut hoc nascuntur hydrocephalo, aut post ortum advenit. Illi qui hoc nascuntur, habent caput magnum, suturas diductas, sunt somniculosi, parum cupidi lactis, quod difficulter hauriunt, consumuntur; oculi immittuntur; extremitates inferiores debilitantur; progressu temporis non sine negotio explicantur verba; molestat capitis dolor, et stupor; pruriunt nares; dejectiones involuntariae; robores fa-

eici fugaces; sub anxietate continuus motus capitis modo ad unum modo ad alterum latus. Versus morbi finem dum squallida inficit macies, observatur dilatatio pupillae, strabismus, pulsuum irregularitas. Plura inter exposita symptomata a cerebri compressione proveniunt, ut capitis dolores, stupor, sensuum debilitas, unde pueri hebetes habent aures, caecutiunt aut luce privantur; convulsiones, paralyses, dispositio ad somnum, veternus, apoplexia. Haec symptomata evidentissime confirmant quam juste recentiores physiologi functionem cerebri, cerebelli, et medullae oblongatae centralem sensibilitatem appellant; siquidem hujusmodi functio omnibus aliis functionibus praeesse videtur. Levis enim pressio super haec organa stuporem, somnum, paralyses, sensuum externorum debilitatem, convulsiones adducit; fortior autem extinguit vitam. Rarum praeterea non est, hydrocephalo interno aliquod vitium conformationis adjungi, aut labrum leporinum, anus clausus, caecitas congenita, etc.

Hydrocephalus est morbus proprius temperamentorum lymphaticorum. Cum internus

est et primarius nascitur a caussis, quae in meninges et cerebrum actionem exerunt. Humor autem nunc inter duram matrom et ossa cranii; nunc inter duram matrem et arachnoideam; nunc inter hanc et piam matrem; nunc inter piam matrem et cerebrum; nunc in omnibus hisce locis, maxime in cerebri ventriculis residet. Interdum vero aquosus latex hydatidibus continetur, quae in ipsa substantia cerebri et cerebelli, praesertim in lateralibus ventriculis latitant. Arduum vero est cognoscere hydrocephali congeniti caussas: facilius mente complectimur quomodo produci possit sub transitione foetus per angustias pelvis; sed hic est potius hydrocephalus acquisitus quam congenitus, productus scilicet a difficultate partus, et interdum ab imperitia obstetricantium. Propter itaque difficultatem cognoscendi remotas caussas, plures ut inter se oppositae inveniuntur scriptorum opiniones in caussa morbi proxima statuenda. Beddoes credit morbum inflammatoriae indolis; alii contra esse asthenicae naturae; et ideo quisquis curationem statuit secundum arrogata elementa. Ego in

ea sum sententia, ut credam plerumque caussam esse astheniam; cum negari non possit, saepius hunc morbum in pueris debilibus, lymphaticis, scrophulosis, rachiticis contingere; aliquoties vero esse lentam phlogosin, quae in istis temperamentis et constitutionibus evolvitur; et interdum esse extuberationem osseam, ut sectione cadaverum deprehenditur: verum aliquando hydrocephalus ostendit acutam indolem, et absque dubio ab aucta actione vasorum nascitur. Multa tum est symptomatum varietas; sed generatim sunt febrilia, quibus celeritate maxima nervosa symptomata succedunt. Cum hydrocephalus sit congenitus, multa probabilitate ex primigena conformatione embrionis oriri videtur. Si caput foetuum hydrocephalicorum non praetermodum crescat, sine artis auxilio possunt utero prodire; sed plerumque eorum caput est magnum, et facies exigua; os frontale, ossa parietalia, occipitalia prominent in centro, et eorum durities ab ipso centro ad margines decrescit; suturae non adhaerent; oculi extrorsum et deorsum extruduntur; meatus auditorii ex-

terni complanari videntur. Tandem hydrocephalus internus esse potest symptomaticus, aut alterius praegressi morbi secundarius.

Si hydrocephalus sit congenitus nulla subest spes. Caput interdum tam in matris alvo augetur, ut sine artis auxilio impossibilis sit partus. Etenim fit punctio fontanellae, qua propter effluxum aquae imminuitur capitis volumen. Si autem hydrocephalus post partum generetur, nec sit adeo notabilis, sanatio impossibilis non est. Hydrocephalus chronicus ad plures annos productus rarissime sanatus fuit: acutus est periculosissimus, et curatu difficillimus. Etiam symptomaticus et secundarius discrimine plenus est. Sectione cadaverum plures librae aquosi laticis inveniuntur, modo pellucidi, modo turbidi; raro sanguinei, et foetidi. Hujusmodi latex aut in pluribus stagnat locis, aut inter meninges, aut solum hydatidibus continetur. Tumidi deprehenduntur plexus choroidei; interdum solito durior glandula pituitaria. Rara est extuberatio ossea, quae fuit in cavitate cranii reperta.

Cura hydrocephali externi consistit in diureticis, purgantibus, tonicis externis et internis, praesertim fomentationibus vini calidi. Expediunt etiam vesicantia, scarificationes, setaceum. Etiam in curatione hydrocephali interni adhibenda sunt medicamenta urinam moventia, purgantia, tonica, vesicantia, fonticuli, setaceum. Salutaria sunt vesicantia, praesertim vesicans super caput applicitum, quod, si fieri potest, diu apertum servetur. Admoveri etiam possunt vesicantia fronti, occipiti, capitis lateribus. Inter tonica praeponenda sunt praeparata ferri; inter diuretica digitalis purpurea, mercurius dulcis a dimidio grani ad granum utpote valentissimum remedium. Cum a quibusdam habeatur ut specificum adversus hydrocephalum, etiam unctiones mercuriales adhibentur. Mercurius etiam scillae conjungi solet. Si vero omnibus remediis obsistat morbus, setaceum nuchae est apponendum. Haec est curationis methodus ratione et experientia confirmata. Alias propositas curationes non amplecterer, nec aliis suaderem, ut sunt compressiones capitis ut adjuvetur absorptio;

punctio in parte ubi non est timor pungendi sinus. Quisque videt quantum in hisce adhibendis modis instet periculi. Non me fugit quod a quibusdam quaeritur, an liceat adhibere ancipitia auxilia, ubi urget inevitabile fatum, ut est trapani operatio ab Hippocrate proposita, et post hanc operationem ventriculorum incisio; nec ignoro referri sanationis exempla. Ut vero dicam quod sentio, de narrationum veritate vehementer dubito, et in mea mente est, quod tam trapani operatio, quam ventriculorum incisio aegri mortem properet.

Pro acuto hydrocephalo convenit antiphlogistica methodus, sed caute usurpanda, quippe inflammatoriis symptomatibus celeriter nervosa symptomata succedunt. Si validus sit puer, capitis dolore tentetur, fortiter pulsent arteriae, facies rubescat, splendeant oculi, juvant sanguinis missiones; hirudinum applicationes collo, temporibus, aut circa aures; cucurbitulae scarificantes ad nucham et inter scapulas. Postea dandus est cremor tartari; digitalis purpurea; super caput aqua nivea simplex, aut cum aceto.

Tum utilia sunt vesicantia, praesertim vesicans super universum caput, et diu reclusum servandum. Incitanda etiam sunt vasa, sed non sine consilio, ut separatio urinarum promoveatur, quod usu interno et externo mercurii obtinetur. Ubi denique sequitur magna virium debilitas; premant spasmi, et convulsiones, praesto sint tonica et antispasmodica remedia. Tempore curationis servetur elevatum caput. Si puer sit grandiusculus, et curatio felicem exitum habuerit, quo melius a morbo ille se recolligat, ad rusticandum conducatur, et per salubria rura aliqua permittatur exercitatio; victus sit levis.

CAPUT XI.

DE HYDRORACHIA

Hydrorachia est hydrops vertebralis columnae aut cum illaesis vertebris, aut cum laesione vertebrarum, nempe harum hiatu et externo tumore cystico. Si hydrorachia sit primaria nascitur a caussis quae super ver-

tebralem columnam et medullam actionem exercent. Est congenita, si ab ipso matris utero principium habeat; et quamvis post partum compareat, ut talis habenda est, utpote in ventre matris exorsa. Magnam caussae postulant indaginem, quippe hydrorachiae initia obscurissima sunt, maxime si sit sine vertebrarum hiatu. Necessaria etiam est disquisitio symptomatum, quae indicant humorem esse in vertebrali specu, ut sunt ardor, dolor columnae, tumor, subsultus tendinum, vomitus, convulsiones, dispnoea, resolutio sphincterum vesicae urinariae et recti intestini, paraplexia. Cum autem hydrorachia est cum vertebrarum hiatu, unde surgit tumor sero plenus, dicitur spina bifida. Serum autem colligitur inter medullam vertebralem et membranam quae eam vestit. Saepe hic morbus sedet in vertebris dorsalibus et lumbaribus; raro in aliis vertebris; tamen interdum in pluribus vertebris, et etiam in omnibus observatur. Tumor est mollis, pellucidus, quandoque subniger, indolens, pressioni obediens, parum fluctuans, variam formam et magnitudinem obji-

ciens, quia modo castaneae, modo duobus pugnis aequalis; modo magnam habet basim; modo pedunculo adhaeret; modo constat duobus tumoribus inter se communicationibus: integumenta quae eum induunt aut sunt crassa, aut tenuia, aut desunt. Ut plurimum hujusmodi tumor involucro medullae spinali extruitur. Cum cute tegitur, aut servat naturalem colorem, aut naturali differt; sed cum absunt integumenta color est idem ac ille tenuis membranae spinalem medullam vestientis, scilicet subruber. Tumor nunc rumpitur, nunc permanet; et tandem gangraena et ossium carie corrumpitur. Cum rumpatur exit humor foetidus, puriformis, ichorosus, sanguineus. Symptomata discrepant, sed communiter adnotantur paralysis articulorum, vesicae urinariae, recti intestini, et partium quae a spinali medulla nervos accipiunt. Praeterea pueri sunt somnolenti, attoniti, parum auribus audientes, difficiliter moventur, et dum super dorsum cubant, lugent, et nervorum distensionibus corripiuntur. Nonnulli credunt hydrorachiam semper hydrocephali consectariam,

quod procul a vero est. Etenim datur hydrorachia quin afficiatur cerebrum; quamvis non raro hydrocephalus comitetur hydrorachiam, et aqua cranii cum illa spinae communicet. Si hydrorachia cum hydrocephalo componatur, aegri torpescunt, ad somnum propendent, opprimuntur convulsionibus, et post aliquem ab ortu diem extinguuntur.

Hydrorachia congenita cum scissura vertebrarum nasci videtur a structura vertebrarum, cartilaginum intermediarum non absoluta, et vasorum spinalis medullae et columnae vertebralis debilitate. Hydrorachia vero sine vertebrarum labe oriri potest a violentiis externis, ut a lapsu matris; ictibus in uterum foetum gerentem; laesionibus columnae vertebralis, et foetus ipsius, quae interdum ab obstetricantibus inferuntur; ut et ab inflammatione spinalis medullae. Plures autem remotae caussae esse possunt, ut incongrua positio foetus in utero; vitia uteri ipsius; partus laboriosus; morbosae parentum diatheses. Etenim indubium est quin diathesis scrophulosa, rachitica, venerea, scorbutica parentum inter plurima mala ma-

gnam lymphatici systematis perturbationem inducant.

Quamvis infausta sit praesagitio, tamen hujus morbi distinguenda species est, et symptomata. Hydrorachia congenita cum vertebrarum laesione primis vitae diebus enecat; sed aliquando per plures menses et annos perstat. Imminet vero periculum, si tumor sit profundus et amplus. Minus praeceps est hydrorachia sine vertebrarum scissura. Interdum foetus spina bifida deformes in alvo matris moriuntur. Hydrorachia acuta lethalis est, et eo magis quo tenerior est aetas. Apertura tumoris sive spontanea, sive fortuita, sive per chirurgorum imperitiam, vitam eripit. Sunt quaedam observationes, quibus confirmantur id non semper contingere; sed hujusmodi observationes paucam fidem merentur. Inquit Sauvages Op. cit. Tom. II. pag. 407. = Quoties vero ignari chirurgi hunc tumorem aperiunt, toties infantes illico pereunt. = Sectione cadaverum pluribus in locis aliquando inveniuntur vertebrae discissae, et etiam omnes; sed hoc rarissimum est. Interdum nulla fuit obser-

vata laesio in spinali medulla; interdum haec protinus deleta. Nonnunmquam invenitur complicatio hydrorachiae cum hydrocephalo, et deprehenditur fluidum, quod continetur tumore, easdem habere qualitates, ac illas quae observari solent in hydrocephalo, sicut supra innuimus.

In instituenda curatione in primis amovendum est quidquid comprimere aut rumpere potest saccum; sed negligenda non sunt remedia, quae promovent alvum, incitant absorptionem et urinarum secretionem. Si tumor spinae sit parvus, molli gossipio tegatur: secus ampla sustineatur fascia. Applicantur etiam duplicata lintea, spirituoso liquore madida. Ut aeger sedere possit, in parte posteriore sedis sit spatium mollibus pulvinaribus circumdatum. Remedia sunt syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, aut florum persicorum; tinctura scillae, et digitalis purpureae; cortex peruvianus, martialia. Vesicantia aliquam opem afferre possunt; sed fonticuli et setacea, mihi videntur tormenta nunquam praecipienda, quamvis a quibusdam practicis proponantur. Eadem re-

media in hydrorachia sine labe vertebrarum utilia sunt. Si autem indolem acutam praeseferat, applicentur vesicantia super columnam vertebralem; fiant unctiones ex unguento mercuriali; et pro usu interno digitalis purpurea, mercurius dulcis, decoctio aut syrupus dulcamarae celebrantur.

CAPUT XII.

DE ANO CLAUSO

Non insolitum est in recens natis anum clausum invenire. Aliquando advertitur apertura, sed meconium non egreditur; infans luget, et commovetur. Hoc evenit, aut quia canalis in aliqua parte adhaeret, aut quia aliqua membrana meconii transitioni opponitur. Si hujusmodi obstaculum est prope aperturam ani, curatio facilis est, et expedita sanatio; nam tollitur, si in anum immittatur turunda melle rosato illita. Interdum non ani apertura, sed tumor deprehenditur a retento meconio productus; et ideo quaerenda est extremitas canalis, ut fiat in-

cisio cruciformis, et ex quatuor limbis elevatur cutis, quae operiebat intestinum. Abluitur vulnus calido vino; et impeditur quominus labia vulneris ipsius glutinentur, si usque ad sanationem aliquis illitus ex oleo non linquatur. Generalia symptomata hoc vitium comitantia sunt retentum meconium, tumor dolens abdominis, contorsiones, fletus, nausea, vomitus materiarum lutearum et viridium, conatus inanes, rubor faciei, oculi prominentes, tumidae venae colli, singultus, convulsivi motus. Hoc conformationis vitium alea plenum est; quin interdum insanabile, sicut cognoscitur a consideratione specierum.

Auctores plures hujusce vitii species statuerunt, nimirum imperforatio cum apparente ani externo orificio, quae species est discrimine plena; quamvis non semper, quia obstaculum est diversae naturae. Alia species, si membrana modo tenuis, modo crassa claudat ani aperturam; hinc non adeo instat periculum, quia incisione cruciformi hujusmodi membrana deducitur. Tertia species, si occludatur anus pelle, aut interdum

pelle, textu cellulari, carnosa productione sine ullo aperturae vestigio. Quarta species, si deficiat rectum intestinum, aut hujus conformatio prava sit, aut apertura ubi non decet. Apertura recti intestini in maribus dumtaxat evenit in vesica urinaria; quamvis Morgagni de sedib. et caus. de morbor. Epistol. 33. artic. 4. loquatur de puella in qua observatum fuit Bononiae quod materiae faecales non per anum sed per urinae vias reddebantur. Interdum intestinum rectum aperitur in vagina, quod constituit inemendabile vitium. Datur etiam anus insuetus, cum intestinum quod tenet locum recti intestini in aliqua parte circumferentiae abdominis recluditur, ibique complet ani functiones.

CAPUT XIII.

DE CONTRACTIONE ANI

Ani contractio est aliud vitium recens natorum plus vel minus adnotatione dignum. Signa sunt defectus, aut exigua meconii

quantitas; tumor progrediens abdominis, et exstensio dolorem afferens; vomitus, nausea, fletus. Inspectione vero hoc vitium extemplo cognoscitur. Omne curationis negotium est anum dilatare; quod fit apta corpora in anum adigendo. Sunt vero casus, in quibus curatio esse debet et promptior et efficacior; cum scilicet ferro anus laxandus est; et secundum contractionis gradum aut in uno aut in utroque latere fit incisio, et deinde impeditur, ne iterum constringatur anus.

CAPUT XIV.

DE OCCLUSO GLANDE ET PRAEPUTIO

Glans et praeputium in recens natis aut perfecte aut imperfecte clauduntur. Est glans perfecte clausa si in ejus extremitate nullum sit foramen; imperfecte si non omnino foramine orbatur. In primo casu est canalis urina dilatatus, manifesti et inanes sunt pueri nisus ad emittendam urinam; erigitur colis. Cum adsit orificium urethrae, mucro-

ne lanceolae separanda sunt conjuncta latera. Si vero nullum appareat vestigium aperturae, mucrone scalpelli fit parva incisio in summitate glandis secundum orificii urethrae directionem; deinde acu absolvitur perforatio; tandem in urethram immittitur parva candela, cujus usus non linquitur, ne constringatur facta apertura. In altero autem casu in primis tenuissimo specillo ampliandum est foramen; postea parvae candelae adhibentur, sed progressu majores, quarum usus diu est prorogandus. Interdum urethrae apertura non est in glandis apice, sed ad hujus basim, aut ad latera penis, aut prope anum; interdum prorsus obliterata.

Similiter praeputium aut absolute aut non absolute clauditur. In primo casu urina exire non potest, proindeque distenditur praeputium, et formatur pellucidus tumor; sentitur fluctuatio; augetur tumoris volumen; major fit tensio sub conamine emittendi urinam. Hujusmodi tumor est aperiendus; et si praeputium sit nimis prolixum exportandum. Mox fiunt lotiones ex decoctione hordei; et obtinetur sanatio. Si au-

tem praeputium non sit absolute clausum, offert gradum phimosis, de qua modo loquemur.

CAPUT XV.

DE PHIMOSI

Cum aperitio praeputii tam sit exigua ut impediat glandis detectionem, constituitur morbus phimosis naturalis aut congenita nuncupatus. Distinguitur enim phimosis in naturalem et accidentalem. Dicitur naturalis quae congenita conformatione producitur; accidentalis quae post ortum a quavis fortuita caussa efficitur. Nos solum de congenita phimosi mentionem facere debemus. Quidam nascuntur pueri naturali phimosi, ut libere urina non exiliat; sed sensim sensimque grandior fit apertura, et hoc modo removentur mala, quae a phimosi proficiscuntur. Si vero praeputium sit valde prolixum, et nimis arcta aperitio, urinae retentio consequitur. Tum urina guttatim stillat, et intra praeputium cumulatur, quod distenditur,

unde fit tumor mollis et fluctuans. Tum necesse est operationem facere, ut evitentur mala quae ab hoc vitio conformationis emanant. Operatio aut consistit in resectione praeputii pro tumoris ratione, qui ab urinae distensione efformatur; aut in exportando majorem vel minorem portionem praeputii, secundum hujus longitudinem. Deinde lotiones ex decoctione hordei pro medicatione sufficiunt.

CAPUT XVI.

DE ABSENTIA, ASTRICTIONE, IMPERFORATIONE VAGINAE

Quaedam nascuntur foemellae sine ulla partium externarum genitalium specie, et omnino vaginae orbatae, inter quas sunt etiam utero deficientes, aut informi hoc viscere instructae, et minime ad menstruorum secretionem apposito. In quibusdam vero vagina destitutis in statu naturali manet uterus; et ideo tempore menstruationis in hujus cavitate congeritur sanguis, unde plura

et gravia surgunt symptomata. Itaque si illo tempore nullum molestet symptoma est clarum signum aut deesse uterum, aut esse male constructum. Interdum non deest vagina, sed hujus exstat congenita adstrictio, aut ad totam canalis longitudinem extensa, aut in parte tantum, et praesertim orificio circumscribitur. In hoc casu medicatio est incisio; sed si astrictio est in tota vaginae longitudine, hanc eripere arduum est, et operationis exitus est anceps, cum incidenda sit magna partium crassities, et urget periculum rectum intestinum et vesicam urinariam caedere. Imperforatio autem congenita vaginae usque ad pubertatem nullum affert incommodum. Haec imperforatio aut nascitur a clauso orificio vaginae per membranam plus vel minus crassam, quae est hymen imperforatus; aut per substantiam firmam et fibrosam. Aliquando repertae fuerunt membranae vaginam claudentes, una scilicet post alteram, sicut historiis chirurgicis refertur; sed ut plurimum absoluta imperforatio provenit ab hymene. Tum pubertatis tempore plura comparent symptomata quae praenun

tiant menstrua, quae non prodeunt. Primum invaletudo; postea adveniunt symptomata intensiora pro majore quantitate sanguinis in canali collecta, ut borborygmi, colicae uteri, inappetentia, nausea, vomitus, tumor abdominis, ubera tumentia, spasmi, convulsiones. Siquidem haec symptomata ab illis graviditatis parum distant, suspicionem interdum inferunt de puellarum pudicitia. Si partes generationis inspiciantur, membrana prominens observatur. Hanc oportet incidere aut cruciformi aut simplici sectione, cujus margines ope turundae convenientis magnitudinis et formae removentur.

CAPUT XVII.

DE VITIIS CONFORMATIONIS MEATUS URINARII

Saepe dum vulva occluditur, est etiam occlusus meatus urinarius. Cohaerentia magnorum labiorum facit ut non reddatur urina. Inspectione partis nec clitoris nec vagina cernitur. Tum scalpello et specillo sulcato secanda est membrana parietes conjun-

gens; et ne labia coeant interponatur frustulum unguento de cera illitum. Saepe vero solum clauditur meatus urinarius, dum vulva recte conformatur. Hinc puella urinam non edit; jactatur, luget, in hypogastrica regione surgit ovalis tumor, orificium urethrae subtili membrana clausum reperitur. Haec membrana inciditur, et per aliquot dies, donec nempe persanatum sit vulnus exigua syringa ex gummi elastico inducitur. In quibusdam puellis canalis urethrae in vaginam egeritur. Gravissimum autem est accidens, si canalis arcte constringitur, aut obliteratur. Hisce in casibus interdum natura viam urinae dat per umbilicum, sed plerumque consequitur mors.

CAPUT XVIII.

DE VITIIS CONFORMATIONIS DIGITORUM

Fere nunquam infantes aliquo carent digito; sed saepius sex aut plures habent digitos in una aut in utraque manu. Hoc conformationis vitium ut plurimum in mani-

bus observari contingit; sed interdum etiam in pedibus. Cum sextus digitus est in eadem linea aliorum digitorum nihil affert incommodi; sed si sit extra hanc lineam non potest ullum voluntarium motum perficere, et quoad conformationem ab aliis digitis differt, ideoque secandus est. Nascuntur etiam pueri cum digitis membrana conjunctis; et hoc etiam vitium operatione sanatur. Sic congenita esse potest digitorum adhaesio aut volae aut dorso manuum; et depravata digitorum directio; quae omnia vitia chirurgicis auxiliis adimi possunt.

CAPUT XIX.

DE TESTICULORUM DESCENSU

In recens natis observandum est an descenderint testiculi; nam aliquando in abdomine ad vitam remanent. Testiculus sinister primus solet desilire. Testiculi duabus membranis teguntur, nempe albuginea, quae eorum vasa circumcingit et conjungit; ac vaginali quae solum albugineae imponitur,

et non adhaeret nisi in una parte. Testiculi usque ad partum, aut paullo ante morantur in abdomine, et solum albuginea velantur; sed cum anulum inguinalem transgressi sunt locantur in sacco a peritonaeo composito, quod secum adduxerunt. Hic restringitur, et clauditur aperitio; ita communicatio desinit inter cavitatem abdominis illamque vaginalis. Interdum vero portio intestinorum pervadit aperturam peritonaei antea quam haec occludatur; unde contingit hernia cujus saccus testiculi vaginali constituitur. In pueris enterocele aut est congenita, aut accidentalis. Inter frequentes caussas herniarum in pueris sunt assiduus fletus; fasciae quae nimis intestina et omentum coarctant. In recens natis nullo negotio reducitur hernia, et inde splenia aqua frigida madida, et ligatura adhibentur.

CAPUT XX.

DE TUMORE SCROTI

Saepissime in pueris contingit scroti tumor, qui aliquando non est nisi levissima inflammatio urinis et excrementis producta. Facile resolvitur, si pulvillus levi solutione sacchari saturni madefactus applicetur, mitella sustinendus. Aliquando vero tumor aut hydrope scroti, aut illo testiculi constituitur. Scroti hydrops est tumor albus, pressioni digitorum cedens, qua sublata ad suam formam restituitur. Prompte fotubus ex calido vino solvitur. Hydrops autem testiculi, seu hydrocele tunicae vaginalis, in humore inter hanc tunicam et albugineam reside consistit. In hoc hydrope scrotum non inflammatur, non tumefit, non digitorum pressioni cedit; quin durus est et renititur. Hic tumor est pellucidus, non dolens, pressione non minuitur, fletu non augetur. Hydrocele autem congenita, quia congeritur humor in cavitate tunicae vaginalis quae communicationem habet cum illa peritonaei, ab ipso

humore cognoscitur, qui in abdomen repelli potest. Interdum hic morbus aliquot menses sponte dissipatur; tamen curari debet fomentationibus, quae fiunt linteolis madidis mixtura ex una parte spiritus vini et duabus partibus aquae, mitella suspensis.

DE PUERORUM MORBIS

CAPUT XXI.

DE HERNIA UMBILICALI

Hernia umbilicalis graece omphalocele, ὀμφαλοκήλη, et etiam exomphalos, ἐξομφαλος, est vel omenti vel intestinorum procidentia ex umbilico. Aliquando infantes hac hernia nascuntur, quae reducitur ligando ad distantiam alicujus pollicis funiculum umbilicalem, et splenia applicando, quae fascia obvolvuntur. Facta reductione, cavendum est ne ita incidatur funiculus ut plus quam decet brevis sit, ut evitetur periculum scindendi peritonaeum, quod esset caussa mortis. Plerumque vero haec hernia post

funiculi lapsum declaratur, primisque vitae mensibus. Partes quae eam constituunt per anulum umbilicalem veniunt ab abdomine peritonaeum extrudendo, quod format saccum. Collus hujusce sacci semper brevis est, et anuli speciem effingit. Persaepe haec puerorum hernia includit portionem intestini tenuis, et fere nunquam epiploon, cum in pueris admodum breve sit. Involucra hujus herniae cute, textu cellulari, et sacco hernioso componuntur. Caussae sunt imperfecta contractio anuli umbilicalis; ejulatus; tussis; vomitus; nam hoc vitae tempore anulus umbilicalis parietum abdominalium est debilior pars. Haec autem hernia exhibet tumorem plerumque rotundum, qui si comprimatur se surripit, si auferatur compressio iterum comparet. Saepius in infantibus, et pueris est sine periculo. Heisterus Tom. II. pag. 53. inquit = Omphalocele in infantibus et pueris plerumque solet esse sine periculo, et ut plurimam etiam facile in his reducitur ac sanatur. = Cura in reducendis egressis partibus consistit; et compressione in situ servandis. Reductio facilis est, dum

modo intestinum sacculo non adhaereat, et anulus ingressui non opponatur.

CAPUT XXII.

DE FRACTURIS ET LUXATIONIBUS

Sub partu aut rumpi, aut luxari possunt ossa. Extremitates superiores saepe luxantur; et tum in propria sede reponere oportet ossa, et in hac retinere. Ita dum infans cruribus trahitur, collum femoris adhuc cartilagineum refigitur; ideo fascia est obvolvendum, ne claudus remaneat. Interdum luxatur maxilla inferior, quod non raro propter obstetricantium inscitiam evenit, cum foetus facie sese offert; et tum in propria sede maxilla est restituenda. Aliquando contingunt fracturae curatu difficiliores, ut illae claviculae, humeri, femoris. Si rumpatur clavicula, trahenda est scapula retrorsum, et in hoc positu fasciis retinenda. Si frangatur os humeri vel femoris, aptetur exigua compressa, ut fracturae extremitates in suo positu detineantur. Sub

compressa accommodentur tria plicata tenuia frustula telae lineae, longa et lata fere dimidium pollicis, ovi albumine cum similagine aspersa. Continetur apparatus molli fascia lanea. Si nullus appareat tumor, usque ad octavum vel nonum diem non removeatur apparatus. Intra spatium trium aut quatuor septimanarum sanatur fractura.

CAPUT XXIII.

DE ASPHYXIA

In lucem venientes egent respirandi aërem. Qui non respirant sunt in statu mortis apparentis, qui graece dicitur asphyxia, ἀσφυξία. Hoc vel per abundantiam, vel per defectum sanguinis contingit. Abundantia cognoscitur turgore vasorum; facie tumida, rubra, livida; calore corporis; oculis prominentibus; defectu cujuscunque motus; maculis rubris per corporis superficiem conspersis. Hoc in casu vita puerulorum servatur, si funiculus umbilicalis incidatur, et ante hujus ligaturam, linquatur ut exeat

sanguis, donec appareat vita. Dum enim excedit sanguis moventur membra, et incipit respiratio; sed si hoc non succedat, exponatur puerulus actioni aperti, et subfrigidi aëris; aqua aspergatur vultus; suffletur aër buccis super faciem; pluma vellicetur interna membrana narium. Si vero nihil juvet, veniendum est ad insufflationem, quae graece dicitur εμφύσησις, ἐμφύσημα, scilicet ex ore in os, aut aliquo instrumento, inflatur aër. Defectus autem sanguinis cognoscitur pallore faciei, totiusque corporis; livore labiorum; pendente maxilla inferiore; membrorum languore; meconio conspurcante corpus. In hoc rerum statu incidendus non est funiculus umbilicalis; apponenda sunt ventri lintea modice calida, ut vires vitales stimulentur; etiam aliquis stimulus apponatur naribus; aqua frigida perfundatur vultus; defricentur plantae pedum. Cum hujusmodi auxiliis redeat vita, et infans respiret, inciditur funiculus umbilicalis. Praeter hasce praecipuas caussas asphyxiae, aliae plures sunt, quae aut sub ortu, aut post infantis ortum agere possunt. Etenim sub ortu com-

primi potest caput, aut funiculus umbilicalis; funiculo ipso involvitur collum; in laboriosis partubus actio instrumentorum; nimis prompta placentae disjunctio. Quaedam asphyxiae sunt leves, quaedam graves, et curatu non faciles, ut quae producuntur a mucco; grumis sanguinis in naribus, ore, faucibus. Hisce in casibus pertinaces sunt asphyxiae, quia difficile tolluntur caussae. Tum in os infantis aliquo instrumento, ut exigua cannula immittitur aër. Fiant etiam aspertiones aquae frigidulae super vultum; irritetur membrana pituitaria; leviter panniculo laneo pectus et dorsum fricetur; fragrantia subjiciantur naribus; frictiones etiam fiant aceto egelido; spiritu vini. Si haec non juvent, ad insufflationem confugiendum est; quamvis proponitur etiam aliquam aromaticam substantiam in anum indere. Post autem ortum caussae asphyxiae sunt agitatio vehemens cunarum; operimenta quae respirationem impediunt; matres, et nutrices prope alumnum capientes somnum. Hujusmodi asphyxiae admonitionibus, consiliis, et amotis caussis possunt evitari.

CAPUT XXIV.

DE DURITIE TEXTUS CELLULARIS

Aliquando in recens natis observatur cutis et textus cellularis durities, quae si prematur nulla remanet impressio. Hic est morbus proprius recens natorum, qui interdum etiam ante ortum occupat foetum. Ut plurimum post paucas horas ab ortu incipit morbus cum notabili diminutione temperiei corporis. Durities est praesepe generalis, et extenditur etiam ad genas; et huic non raro adjungitur trismus. Cutis est violacea, sed plerumque subflava. Partes duritie affectae sunt frigidae; et infans lethali sopore oppressus saepe deserit vitam. Hic morbus, ut diximus, frequenter totum coporis habitum invadit; sed interdum est partialis, et non raro obsidet abdomen; aut prius lacessit faciem, postea irruit in abdomen. Propter duritiem partium fieri non possunt motus; et textus cellularis dolet, si manu tangatur.

Caussae obscurae sunt; sed in hoc morbo ramum mihi videtur scrophulosae dia-

theseos recognoscere. Etenim sectione cadaverum eadem ac in scrophula inveniri solent, ut tumor vasorum lymphaticorum, glandularum, et insignis glandularum meseraicarum obstructio. Praeterea haec textus cellularis durities in infantibus debilibus observatur, et in illis qui nascuntur a parentibus scrophula laborantibus. Quapropter in ipso utero patitur constitutio foetus, et ad duritiem textus cellularis disponitur.

Hujusmodi morbus si universalis est magnum infert periculum, et pueri modo paullo post ortum, modo paucos post dies moriuntur; interdum tamen ad aliquot hebdomadas producitur vita. Dum secantur cadavera, ab induratis partibus exilit aqua ut plurimum luteo-fusca; observatur textus cellularis concretus, granosus; vasa lymphatica, et glandulae tumidae; hepar ingens, et nigro sanguine refertum; bilis atra in vesicula fellis, obstructio glandularum mesenterii; in pulmonibus sanguis niger.

Medicamenta usurpanda sunt balnea calida; frictiones cum molli panno laneo, ut partes calefiant; sed utpote vitalitate fere

prorsus orbatae, cito defervescunt. A practicis vero plura proponuntur, ut aliquod emeticum; vapores plantarum aromaticarum; frictiones cum aceto tepido, aut cum unguento mercuriali; vesicantia, quae non solum molesta, sed etiam nocua censeo, quia stimulanti actione inducere possunt gangraenam, maxime si erysipelas consocietur.

CAPUT XXV.

DE TRISMO

Trismus, τρισμὸς, est constrictio spasmodica praesertim maxillae inferioris. Hic morbus in infantibus non est infrequens; et interdum est etiam congenitus. Multas exhibet species, sed de illo nostrum est loqui qui primis vitae diebus corripit pueros. Qui hoc trismo detinentur, lugent; bilem evomunt; musculi maxillae inferioris afficiuntur spasmo, quo clauditur os, et maxillae motus difficilis. Adnotatur etiam impossibilitas sugendi lac; non clara vox; maxilla inferior omnino immobilis; lingua etiam et la-

bia immobilia; deglutitio impossibilis; convulsio ad musculos colli, dorsi, artuum extensa; adstringitur alvus; abdomen flatibus distenditur, unde molestant dolores; urina limpida, aut intercepta; immobiles palpebrae, et immotae pupulae; difficilis respiratio; cutis livens. Non semper vero symptomata sunt adeo gravia; sed si talia sint, infantes convulsionibus perimuntur. Animadvertendum est quod interdum os constanter remanet apertum; cum scilicet admodum musculi mastoidei, sterno et mylohyoidei contrahuntur; riget lingua; stringitur pharinx; ideoque nec potest infans lac sugere, nec vocem edere; sed lacrymatur, queritur; faciei musculi agitantur; livescit corpus; dilatantur pupulae; incursant apoplectici insultus.

Hoc morbo tentantur pueri debiles, et adversae constitutionis; frequentius hyeme, quam aestate; et in aëre humido, quam sicco. Caussae excitantes sunt impuritates, et aciditates primarum viarum; corruptum lac; retentum meconium; viscerum vitia, praesertim hepatis et bilis; male facta funi-

culi umbilicalis incisio. Inter vero has caussas, conveniunt practici, frequentiores esse meconium retentum, et intestinorum impuritates. Revera sectione cadaverum in intestinis coagmentatae gastricae sordes repertae fuerunt. Hujusmodi impuritates omni tempore de nutrimine foetus suscitarunt quaestiones. Indubium est quin foetus in utero matris e vasis placentae recipiat nutrimen; sed non adhuc persolutum est, an aquae amnii os subeant, et in ventriculo et in duodeno congestae nutrimentum impertiant; ut praefinitum non est, an meconium in crassis intestinis a sola parte excrementitia bilis componatur. Quomodocumque vero res se habeat, certum est, a retento meconio, et a collectis gastricis impuritatibus trismum infantum posse produci.

Generatim hic morbus conjicit infantes in vitae discrimen; tamen si symptomata non sint tam gravia, nec catervatim torqueant, et quae comitantur morbum cito imminuantur, sperandum est. Putantur signa fausta facilis deglutitio; spasmi mites musculorum oris, et colli; eruptiones cuta-

neae cum levamine; hilaritas puerorum: contra infausta, impossibilitas deglutiendi; convulsiones, et tetanus; frigus manuum, et pedum, cutis livor.

Si in caussa sint gastricae impuritates, remedium est aliquod ipecacuanhae granum, aut aliquod leve purgans; et ubi impossibilis est deglutitio, adhibentur clysteres: si nimia nervorum sensibilitas, et convulsiva affectio, antispasmodica, et clysteres asa foetida parati. In recens natis non raro latent hepatis, et bilis vitia; ubi haec deteguntur, eligantur resolventia, ut syrupus de cichorio cum rhabarbaro, tinctura rhabarbari, rhabarbarum ipsum; sapo venetus. Si infans lac sugere non possit, curandum est ut aliquod lactis cochlear deglutiat, et injiciendi sunt clysteres ex lacte vaccino. Partes convulsionibus affectae, illiniantur oleo, tegantur linteo calido, et puer in miti calore servetur. Balnea tepida saepe repetita optimum praestant remedium; ut super musculos frictiones ex linimento volatili, applicatio vesicantis nuchae, aut inter scapulas. Dum vero nihil prodest, et ampliantur

symptomata, actuale cauterium nuchae tentandum est.

CAPUT XXVI.

DE ICTERO

Icterus in infantibus saepe tertia die post ortum comparet, et plerumque a meconio non expulso producitur. Interdum autem sunt aliae caussae, ut muccus obstruens canales hepaticos; pravae lactis qualitates, praesertim vetustas; aciditates primarum viarum coagulationi lactis faventes; morbi quibus afflicta fuit mater gestationis tempore. Icterus vero etiam accidit, cum puer a lacte fuerit depulsus. Symptomata sunt praeter ictericum colorem alvi siccitas, vomitus, anxietas, et difficilis respiratio, siccitas cutis, calor, febris. Color ictericus provenit a bile, quae post quam fuit a sanguine secreta, regreditur in circulationis systema, nervos irritat, febrem incitat, et propter nervorum consensum accedit vomitus, et difficilis respiratio. Intromissa bilis cutem, hu-

morem aqueum oculorum, urinam, salivam, adipem, ossa luteo colore inficit. Caussae in pueris a mammis disjunctis sunt qualitates alimentorum, ut pulticulae, substantiae alimentariae viscosae, et etiam alii morbi, ut vermes, febres intermittentes, obstructiones.

Icterus infantum est morbus quandoque valde levis, et facile solvitur; nam symptomata sunt mitia, et sensim extenuantur, et nulla est febris. Quandoque vero multiplicantur symptomata, et gravia sunt, ut desiderium scabendi cutem, et hoc propter acrimoniam bilis; haemorrhagiae propter sanguinis dissolutionem; dolores abdominis, constrictio orificiorum vasorum propter acrem chylum; constrictio intestinorum; flatus; excrementa alba, aut nigra; maxima virium dejectio; hydrops; convulsiones, quae proximam mortem indicant. Sectione cadaverum ubique cernitur luteus color, nimirum in serositate ventriculorum cerebri, in cornea lucida, in membranis serosis, aponeurosibus, tendinibus, ligamentis, capsulis articularibus, synovia, adipe, ossibus; hepar

colore rubro-nigro imbutum; vesica fellis spissa, et opaca bile referta.

Morbus, ut diximus, est quandoque tam levis, ut ad eum discutiendum sufficiat aliquod leve purgans, ut serum depuratum cum saccharo per aliquot dies, parvisque dosibus sumptum, quo tollitur caussa bilis transitum impediens. Regula constans est, aptare remedia secundum caussas et symptomata idonea. Quocirca si a pravis lactis qualitatibus ortum habeat morbus, mutanda est nutrix: si a coagulatione lactis, ab aciditatibus, a gastricis impuritatibus, levia purgantia, et absorbentia; sed maxime confert lac serosum puerperae propter laxativas quas possidet qualitates. Per aliquot dies certa puerorum utilitate bene mane exhibere soleo cochlear infantile syrupi de cichorio cum rhabarbaro. Si vero protrahatur morbus utor aliquo grano rhabarbari cum dimidio grano aethiopis martialis. Juvant etiam succi plantarum recentium ut cichorii, taraxaci, borraginis, etc. Interdum vero caussae sunt ineluctabiles, ut in ducto choledoco aliqua excrescentia, graece *ὑπερσάρκωσις*. Si qua

adsit morborum compositio, porrigantur remedia pro varia compositionis natura, ut deobstruentia ad obstructionem viscerum; mercurialia ad veneream luem; etc. Inter vero morbi symptomata quaedam sunt specialiter respicienda, ut molestus pruritus in universa corporis superficie, cui remedium sunt balnea tepida; dolores abdominis, quibus fomentationes, balnea calida, clysteres emollientes, levia purgantia; vigiliae, quibus aliqua levis decoctio papaveris albi ad conciliandam quietem idonea.

CAPUT XXVII.

DE ERYTHEMATE, ET ERYSIPELATE

Erythema est graecum nomen, ἐρύθημα, quod ruborem significat, saepe ab Hippocrate in variis libris usurpatum. Huic rubori valde sunt obnoxii pueri, cujus ab auctoribus plures statuuntur species. Erythemata quibus ipsi frequentius laborant, sunt illud quod dicitur intertrigo, et aliud recens natorum. Intertrigo est rubedo inter plicas cu-

tis circa collum, aures, axillas, inguina, nates, partesque genitales, cui succedunt exulcerationes. Hoc erythema efficitur ab acrimonia urinarum, aliarumque impuritatum. Accurate curandum est, ne inferat consumptionem et mortem, praesertim pueris qui a parentibus lue venerea, aut scrophula affectis nascuntur. Ut amoveatur in primis mundities servanda est; si autem, servata munditie, erumpat, faciendae sunt frequentes lotiones frigidulae. Aspergi etiam potest pulvis cerussae, sed caute, propter rationem supra expositam. Erythema autem recens natorum prodit quarto, aut quinto vitae mense. Apparet maculis rubris, non nihil elatis, asperis, circa nates, partes genitales, et extremitates inferiores. Alicubi observatur epidermidis desquamatio. In robustis pueris hic morbus emendatur; sed plerumque contingit in debilibus, diathesi venerea aut scrophulosa laborantibus, in quibus persaepe sequitur consumptio et mors. Tamen etiam in debilibus pueris spes est, potissimum si a sanis parentibus habeant originem. Hujusmodi erythema curatur frequentibus

balneis tepidis; infusione herbae violae tricoloris; quarta parte grani aethiopis antimonialis, paucisque granis sacchari. Hoc medicamentum in cochleare lactis matris vel nutricis ministretur.

Erysipelas, ἐρυσίπελας, quo minus laborant pueri, interdum efflorescit primis vitae diebus, et habet diversas formas. Modo enim generale est, universam cutem occupans, quae fit rubra, dura, dolens; modo partiale, saepe circa umbilicum et genitalia situm. Habet etiam diversam indolem, quippe aut adoritur valentes pueros, et rapide absolvit cursum; aut infirmos, plerumque invadens abdomen, et in gangraenam transiliens, quae prius a colore vivaciter rubro, deinde violaceo, et gangraenae symptomatibus facile cognoscitur. In pueris erysipelas anceps est, et saepe lethale, quamvis interdum feliciter et expedite resolvitur; siquidem applicationes aquae vegeto-mineralis Goulard ad obtinendam resolutionem sufficiunt. Si transeat in suppurationem, haec est adjuvanda, quia dum abscessus rumpitur, restituitur sanitas. Hoc quidem obser-

vatur in pueris bona temperie donatis; sed in debilibus renovantur abscessus, convelluntur vires, et sequitur mors. Gangraena est exitiosus exitus; tamen adhibeantur infusiones corticis peruviani, et hisce etiam infusionibus parandi sunt clysteres.

CAPUT XXVIII.

DE OPHTHALMIA

Frequens est in recens natis levis oculorum inflammatio ab impressione aëris producta. Ut resolvatur satis est aliqua aqua stillatitia, ut florum sambuci, rosarum, plantaginis oculos madefacere. Interdum vero haec inflammatio tenacior est; et tum aquae stillatitiae addi debet aliquod vitrioli albi granum. Quamvis saepissime levis sit, aliquando inflammantur etiam palpebrae, et notabilis quantitas secernitur purulentae materiae. In hoc casu multa adhibenda est diligentia, ne cornea crassior fiat, et puer veniat in discrimen perdendi visum. Valde juvat cochleari aquae duas aut tres guttas addere aquae

vegeto-mineralis Goulard, et inde pluries in die hac oculos abluere, ut avellatur materies corneam velans. Etiam utiliter temporibus; exigua vesicantia retro aures applicentur. Tandem madefiunt oculi collyrio ex duabus unciis aquae rosarum, aut florum sambuci, aut plantaginis et duobus granis vitrioli albi composito.

In pueris grandiusculis rara non est ophthalmia scrophulosa. In hac levis est dolor; conjunctiva tumescit; rubra est sclerotica et cornea; tumentes, et rubri sunt margines palpebrarum; aut secretio glandularum Meibomii; acres, et copiosae lacrymae; a naribus stillat humor mordax, et exulcerans; surgunt in cornea pustulae et phlyctaenae, quibus ruptis, formantur ulcuscula, aliive morbi, unde perditur visus. Affert ergo haec ophthalmiae species caecitatis discrimen. Curatio versatur in admovendis hirudinibus; usu purgantium; vesicantibus; et praeter haec in exhibendis remediis antiscrophulosis, ut inter alia multa, est decoctio, et syrupus dulcamarae. Saepe vero morbus persistit; et ideo adhibetur unguentum ex praecipitato rubro, quod magnum ad inflamma-

tionem glandularum Meibomii remedium est. Secundum Hufeland componitur aequali parte praecipitati rubri seu oxydi rubri mercurii in pulverem subtilissimum redacti, butyri sine sale, et cerae. Exponitur blando calori, et miscetur. Quotidie vesperi hujus portione aequali magnitudini lentis, illinitur interior palpebrarum superficies. Mane autem calido lacte eluantur oculi. Si forte in cursu chronicae ophthalmiae, activa ophthalmia superveniat, adhibenda est methodus antiphlogistica donec subigatur. Dum aegri tolerare non possunt lucem, fiant oculis fotus ex decoctione hyoscyami; dum pustulae aut phlyctaenae molestant, oculi conspergantur aqua cum aliqua gutta laudani liquidi Sydenham; dum vero rumpuntur adhibenda est solutio lapidis divini. Aër respirandus sit purus, siccus, tepens; concedatur victus nutriens, et digestu facilis; si puer sit grandiusculus, praecipienda est modica exercitatio.

CAPUT XXIX.

DE STRABISMO

Ita oculi in statu naturali disponuntur, ut eorum axes conjunctim dirigantur versus objectum aspiciendum. Si vero oculi diversam habeant directionem, eorumque non sit parallelus, constituitur affectio quae dicitur strabismus, *στραβισμὸς*. Plures sunt opiniones circa strabismi caussam, quae apud auctores legi possunt; sed generatim creditur strabismus pendere a defectu aequilibrii virium vitalium in musculis oculos moventibus, unde oculi vel sursum, vel deorsum, vel in latera disponuntur. Multi vero censent, strabismum originem habere a retina in qua ponunt punctum magis sensile, et ob hanc caussam ita ordinari oculum, ut objecti visibilis imago super illud punctum cadat. Si hoc punctum in utroque oculo non sit, cum axes non conjunctim dirigantur, contingit strabismus. Sed hanc et alias linquamus opiniones, et sequamur quod experientia demonstrat. In primis strabismus aut

est primarius, aut symptomaticus. Primus nascitur a propriis caussis; alter ab aliis morbis, ut a tumore in orbita, qui directionem unius axis alterat; a convulsionibus, et accessionibus epilepticis. Primarius nasci videtur cum oculi non habeant aequalem vim, et sensibilitatem; cum puer uno oculo aspiciat objecta visibilia; habeat consuetudinem cum illis qui hoc vitio laborant; cum ipse cubet in cunis et lux cadat super unum oculum. Symptomaticus nascitur a morbis, in quibus aliqui musculi oculos moventes resolvuntur, ut in initio guttae serenae. Quo grandior est puer, eo difficilior est curatio strabismi. Interdum in pueris sponte sanatur, si scilicet corpus feliciter crescat, quod nunquam evenit in adulta aetate. Sanatio etiam speranda est, si caussa sit tantum prava consuetudo.

Studere debemus ut oculorum motus evadant paralleli. Quamobrem claudatur oculus sanus, et puer altero fixo oculo objecta aspiciat. Admoneatur, hunc oculum servare immobilem, eodemque tempore alterum aperire, quod saepe repetendum est. Hujusmodi

methodus est simplex, rationalis, certior, si patienter, et diu hanc teneamus. In usu est etiam oculum sanum vitta tegere, et si strabismus sit versus externum latus, facere ut oculus versus internum respiciat, et contra si versus latus internum volvatur ad externum. Adhibentur etiam dimidii globi, quibus operiuntur oculi. Hi dimidii globi sunt opaca corpora ita in medio perforata, ut foramen respondeat pupillis, et aeque oculi lucem aspiciant.

CAPUT XXX.

DE CONVULSIONIBUS LACTENTIUM

Lactentes etiamsi sani validique convulsionibus tentantur, quae aut primariae aut symptomaticae sunt. Earum caussae modo occultae modo manifestae videntur, ut pravae lactis qualitates; nutrix peracta vehementibus animi affectionibus; eruptio menstruorum nutricis; suppressio materiae retro puerorum aures fluentis; impuritates, et cruditates ventriculi. Dum hujusmodi con-

vulsiones aggrediuntur, comparent symptomata animadversione digna, ut in somno faciei musculi contorquentur, et propter convulsivos motus puer ridere videtur. Interdum convulsiones eruptione flatuum citissime cessant; interdum perstant; sed frictionibus super abdomen et dorsum molli et calido panno laneo flectuntur. Convulsiones post ortum aut paullo post, quamvis infantes dent letho, tamen hirudines pedibus apponi debent. Si caussa convulsionum sint pravae lactis qualitates, aut sit aliqua ratione ipsa nutrix, haec statim est permutanda. Cum vero caussae saepissime lateant, generatim remedia utilia sunt balnea tepida, lene emeticum; clysteres; frictiones ad pedes cum panno laneo. Si tandem convulsiones sint symptomaticae, videndum qui sit primarius morbus; ut si proveniant a suppressione humoris fluentis retro aures, balnea calida, et applicatio vesicantium retro aures, primas quidem ferunt.

CAPUT XXXI.

DE MOTIBUS CONVULSIVIS OCULORUM

Motus convulsivi oculorum constituunt affectionem, quae persaepe congenita est. In hac oculi sine voluntate agitantur, et hujusmodi motus sunt irregulares, et versus omnes directiones; plus vel minus extensi, et rapidi, unde visio confusa redditur. Aetate majores legere non possunt nisi vicinitus, et magna semper difficultate. Cum fere ignotae sint caussae, de hac convulsiva oculorum mobilitate parum aut nihil loquuntur practici. Si vero hujusmodi motus sint congeniti, multa probabilitate ab immodica sensibilitate et irritabilitate fibrarum nasci videntur, et insanabiles sunt: si sint fortuiti, saepe reperitur caussa remota in aliquo animi pathemate. Maxima motuum irregularitas in oculis apud illos observatur qui nascuntur caeci, et animi affectionibus vehementer commoti, in quibus oculorum motus sunt irregulares, rapidi, extensi.

CAPUT XXXII.

DE SINGULTU ET VOMITU

Singultus et vomitus aciditatibus ventriculi in pueris crebro concitantur. Aciditatum enim irritationibus movetur vomitus, et per consensum convellitur diaphragma, et dum sub inspiratione contrahitur accedit singultus, graece λὺγξ. Plures sunt utriusque caussae; sed in pueris frequentiores sunt impuritates ventriculi; repletio, et corruptio lactis; frigidus aër; difficilis, et irregularis dentitio. Si vomitus et singultus veniat a nimia lactis copia, nullum est periculum; sed non est sine periculo, si a lactis corruptione, quia saepe moventur convulsiones. Nonnunquam sub difficili et irregulari dentitione post vomitum et singultum epilepsiae, et lethales convulsiones superveniunt.

Singultus in lactentibus, et in pueris saepe est nullius momenti, et etiam fugax; sed interdum pertinax, molestus, gravis, plurimis symptomatis stipatus, ut sunt fa-

cies rubra, capitis dolor, commotio pulsus, nausea, vomitus; incommoda sensatio faucium, et ventriculi circa cardiam; propensio ad epilepsiam, praesertim in pueris debilibus, et admodum sensibilibus, et quorum pectus male constructum. Hujusmodi singultus non solum est gravis, sed etiam ad recidivam proclivis. Ubi singultus est vehementissimus, contremiscit corpus, dolet pectus, rauco sono exploditur vox. Ubi est symptomaticus, aut secundarius aliquando periculo non caret, ut qui a retrocessione alicujus impetiginis proficiscitur.

In curatione singultus et vomitus remedia sunt quae caussas delent, et placant symptomata. Itaque si caussa sit copia lactis, minuatur: si corruptum lac, aut gastricae impuritates, purgantia: si aciditates ventriculi, absorbentia, praesertim magnesia, et aliqua praeparatio calcis: si corporis refrigeratio, puer in calore servetur: si debilitas, aut nimia sensibilitas, tonica, praesertim cortex peruvianus, vinum: si cachexia, martialia. Ita si inter symptomata sint convulsivi motus, antispasmodica, et

anodyna, ut aqua florum chamomillae, cerasorum nigrorum, menthae cum liquore anodyno minerali Hoffm. In hoc casu juvant etiam frictiones in regione epigastrica cum mollibus pannis laneis; unctiones cum oleo menthae. Si tandem singultus, et vomitus sint alterius morbi symptoma, varia sunt remedia, ut in verminatione anthelminthica: in herniis, hae sunt in primis reducendae, et cingulis continendae: etc.

CAPUT XXXIII.

DE COMPRESSIONE ALVI

Infantes non raro alvi compressione vexantur, quae quamvis sanitati non officiat, plurimis incommodis ansam praebet. Quidam propter hanc dispositionem difficulter expellunt meconium in recto intestino, et in sinistro colo collectum, etiamsi porrigantur quae illius exitum solicitant. Saepe istis pueris necessarium est aliquod suppositum. Vulgo adhibetur frustum papyri albi contortum oleo communi respersum, et in anum im-

missum ; sed si hoc sit iners, fiat suppositum ex sapone veneto. Quotidie etiam datur aliquod cochlear cassiae, aut syrupi de cichorio cum rhabarbaro, aut aliquot grana magnesiae cum saccharo. Interdum in pueris lactentibus, qui regularibus et copiosis egestionibus gaudebant, extemplo alvus adstringitur. Tum oportet hanc aperire, et pueros ad egestionum regularitatem restituere. Interdum hoc evenit, si nutrices nimis vul gari victu, et spirituosis liquoribus delectentur. Nutrix, si haec sit caussa, victu levi, et emollienti nutriatur ; pueris detur syrupus de cichorio cum rhabarbaro ; fiant clysteres ex sero et sapone veneto, et unctiones circa umbilicum olei amygdalarum dulcium.

CAPUT XXXIV.

DE DOLORIBUS STOMACHI

Anguntur interdum pueri stomachi doloribus. Symptomata semper gravia sunt, et aliquando gravissima, ut nausea, vomitus,

ructus, tumor ventriculi, singultus, fletus, salivae effluxus, constrictio pectoris, ululatus, respiratio difficilis, membrorum contractio, convulsiones, et sub dolorum tormentis vitae finis. Hoc etiam contingit, quia in morbi principiis, non satis morbi gravitas perpenditur, quamvis pueri ad regionem epigastricam manum ferant, quod indicat cruciatuum sedem. Etenim saepe acerbi sunt dolores, ut a subitaneis ululatibus, assiduo fletu, et contorsionibus intelligitur. Arbitror hos dolores illam speciem gastrodyniae constituere, quae a Graecis dicitur periodynia, *περιοδυνία*, significans atrocem partis dolorem quasi circumtensum, qua voce in variis libris Hippocrates usus est.

Caussa proxima est vehemens irritatio ventriculi, unde crudeles et persistentes dolores. Pueri maxime sensibile, et alias aegritudines perpessi ad hunc morbum propendent, et ideo omnia quae ventriculum debilitant, et sensibiliorem reddunt, ut excitantes caussae, habenda sunt. In recens natis caussa est meconium non bene egestum: in pueris lactentibus sunt pravae lactis qua-

litates; lac coagulatum; aliique pravi humores qui irritant, et spasmodicas stricturas inferunt, unde clauduntur flatus, et anxietas, inquietudo, difficilis respiratio consequitur; morales nutricum commotiones, praesertim quae veniunt ab ira: in pueris ab uberibus depulsis sunt prava alimenta; abusus fructuum, maxime immaturorum; flatus qui a cruditatibus generantur.

Hic morbus modo est continuus, modo intermittens, modo sine ordine aggrediens. Si continuus et gravibus symptomatibus stipatus periculosus est; si est intermittens et sine ordine plerumque pertinax, quippe ingenti debilitate et sensibilitate ventriculi productus. Interdum brevis est, et vincitur, si subito curetur, et auferatur caussa. Aliquando vero est irritatio tam vehemens, ut facile transeat in inflammationem, et mortem. Caussae esse possunt leves, ut aliqua gastrica impuritas; aut graviores, ut lactis coagulum. Sic symptomata alia sunt fausta, ut quies, expulsio flatuum cum levamine; alia infausta, ut vigiliae, convulsiones, extremitatum frigus. Sectione

cadaverum saepe in stomacho et intestinis reperiuntur inflammationis vestigia.

Si caussa sint gastricae impuritates, remedia sunt levia emetica, aut levia purgantia; et donec in ventriculo extent saburrae, evitentur narcotica. Si propter vehementem irritationem morbus abeat in inflammationem; pulsus sit durus, tardus; orificia ventriculi claudantur spasmis; exasperetur dolor; difficilis sit respiratio; per ipsos spasmos obserentur impuritates, omittenda non est sanguinis detractio; injiciantur clysteres emollientes; fiant fomenta, et unctiones oleosae; balnea tepida. Si autem morbus aut a pravis lactis qualitatibus, aut nutricis culpa nascatur, alia nutrix est eligenda, secus puer deprehenditur convulsionibus, et expirat. Si in caussa sint flatus, dissimilia sunt symptomata; sed ubi pulsus est febrilis, et durus, dolor est ingens convenit sanguinis missio; ubi pulsus non commovetur, dolor est levis, sufficiunt oleosa, praecipue oleum amygdalarum dulcium, balnea tepida, leve narcoticum. Si aciditates lacessunt ventriculum, non solum absorben-

tia , sed etiam fomentationes , balnea tepida , unctiones oleosae juvant. Ne autem morbus redeat , omnes removeantur caussae , et clysteribus , aliquo syrupo , succo recentium vegetabilium facilis alvus servetur.

CAPUT XXXV.

DE DOLORIBUS INTESTINORUM

Dolores intestinorum non infrequenter invadunt pueros , qui aut sunt fugaces , ut a flatibus producti , et sponte , vel fomentationibus , aliquo cochleari olei amygdalarum dulcium , frictionibus , et unctionibus oleosis circa umbilicum , clysteribus emollientibus evanescunt ; aut sunt immites , et persistentes , et tum lactentes fastidiunt ubera , vel ore capiunt papillas , easque deserunt et refugiunt , plorant , jactantur , contractionibus spasmodicis exercentur , parum dormiunt et in somno subrident , anxie respirant , alvi duritie laborant , calcibus verberant aërem , emittunt ructus acidos , si forte aperitur alvus excrementa sunt fluida

et indolis dysentericae, vel viridia, lutea, et interdum tam acria, ut tenesmum et podicis excoriationes progignant, urinae abundantes, saepe superveniunt convulsiones.

Caussa morbi proxima sunt stricturae spasticae membranarum sensibilium intestinorum, quibus facilis excretio flatuum et excrementorum praepeditur. Si hujusmodi stricturae perseverent, frangitur intestinorum robur, et perturbatur peristalticus motus. Doloribus intestinorum et flatubus magis propensi sunt pueri debiles, maximaque sensibilitate praediti. Excitantes caussae sunt meconium non dejectum; commotiones animi genitricis aut nutricis; susceptum frigus, praesertim pedibus et abdomine; difficilis dentitio. In pueris vero mammis amotis frequentiores caussae sunt vitia diaetae; immodicus usus fructuum, potissimum acerborum, abusus dulcium, et bellariorum.

Morbus modo expedite resolvitur, praesertim si cito sursum et deorsum emittuntur flatus; nulla excitetur febris; nec gravia fiant symptomata: modo anceps est, cum scilicet invadant febris, spasmi, paralyses,

convulsiones, epilepsiae. Ut paucissimis dicam, generatim expediunt absorbentia, ut pro pueris lactentibus pauca grana magnesiae albae, quae repetuntur, donec obtineantur dejectiones cum levamine morbi; laxantia, maxime syrupus de cichorio cum rhabarbaro, fomentationes, et unctiones oleosae, clysteres, balnea; discutientia flatus, ut infusiones chamomillae simplices, quae ut efficaciores reddantur, aliquot guttae olei anisorum uniuntur. Fieri etiam solent unctiones super abdomen ex aliqua substantia balsamica virtute instructa, ut est essentia rutae, aut oleum nucis aromaticae. Si autem egerantur excrementa liquida admodum acria, injiciantur clysteres ex decoctione hordei et lacte, aut ex puro lacte et saccharo; et ad impediendam erosionem podicis ex terebinthina in vitello ovi soluta. Mater aut nutrix victu levi, non acido, non aromatico, nec nimis condito nutriantur. Hae vero, ut lac optimas qualitates conservet, aptam corporis exercitationem non linquant.

CAPUT XXXVI.

DE DIARRHOEA

Recens nati crebro diarrhoea laborant, ut plurimum primarum viarum aciditatibus producta, quae paucis granis magnesiae, exiguisque clysteribus ex decoctione hordei placatur. Aliquando vero est pertinax, inducit virium debilitatem, convulsiones, et ideo periculosa esse potest. Praesens remedium est aliqua gutta laudani liquidi Sydenh; sed ubi urget nausea, dandum est aliquod granum ipecacuanhae cum saccharo. Hujusmodi vero fluxus non solum nascitur ab aciditatibus, sed etiam a pluribus aliis caussis, ut nimia lactis copia; inordinata nutricum vivendi ratione, praecipue quoad diaeteticum regimen; refrigeratione corporis. In grandioribus pueris etiam frequentior est diarrhoea, maxime in debilibus, et expositis quibusdam caussis, et in primis moralibus, ut est aegritudo, formido, terror. Sedulo curanda est, ne consumptionem producat. Remedia sunt tonica, et adstringentia. Si

negligatur curatio, consequi potest lienteria, propter debilitatem ventriculi, et intestinorum; et ideo morbus periculosior evadit. Tamen juvant martialia et adstringentia, praecipue aethiops martialis, et extractum cascarillae. In illis qui aetate magis processerunt contingit fluxus coelicaus; et tum aut cibi partim mutantur, sumuntque chymi speciem, aut in ventriculo et intestinis concocti, una cum excrementis et chylo expelluntur. Hic fluxus in primo casu dicitur diarrhoea chymosa, in altero chylosa. Igitur in illa stomachus munere fungitur; in hac chylus permeare nequit in sanguinem. Symptomata sunt profusi vomitus; largae et intervallo distinctae egestiones; excrementa foetida, aut sine odore, modo cineracea, modo lutea, modo subrufa; fames modo viget, modo pauca, modo nulla edendi cupido; pueri pallentes, graciles, debiles; manuum et pedum tumor; abdomen inflatum aëre; obstructio hepatis, pancreatis, mesenterii. Quoniam hujusce periculosi morbi caussa frequens, et efficacior est obstructio glandularum meseraicarum, praesentaneum remedium

est cicutae extractum. Si dysenteria, aut inflammatio intestinorum in suppurationem translata diarrhoeam praecesserit haec purulenta est. Si pus sit album, et uniformis coloris, aliqua nobis effulget sanationis spes. Curatio esto simplex: Dentur decoctiones hordei, et ex eadem decoctione fiant clysteres; deinde usurpentur tonica et adstringentia, praesertim rhabarbarum torrefactum, catechu, aethiops martialis, extractum cascarillae. Pro nutrimento pulmenta oryzae, et cum morbo melius sit, augeatur victus.

CAPUT XXXVII.

DE CHOLERA

Cholera, χολήρα, est alvi fluxus cum in infantibus non infrequens. Materiae ab ore ejectae sunt virides, luteae, interdum mixtae vermibus, modo foetidae, modo inodorae. Invadit febris remittens, torquent dolores, anxietas; pulsus est frequens, debilis; calor urens capitis; frigus manuum, et pedum; sitis ardens; oculi excavati, et in

somno non omnino clausi ; sensuum hebetatio ; delirium ; convulsiones. Interdum pergit vomitus sine diarrhoea , aut diarrhoea sine vomitu. Hic morbus saepe lethalis est, et intra viginti horarum spatium enecat. Curatur exiguis dosibus ipecacuanhae , decoctionibus hordei , jure pulli tepido cum aliqua gutta laudani liquidi Sydenh. ; fomentationibus cum pannis laneis , clysteribus ex decoctione hordei et gummi arabico.

CAPUT XXXVIII.

DE SUPPRESSIONE URINAE

Urinae suppressio , *ἰσχȣρία* , aut lactentes pueros , aut paullo post ab ubere depulsos interdum affligit. Non possunt pueri reddere urinam , aut guttatim cum fletu et doloribus. Frequentiores morbi caussae aut sunt calculi , aut prava lactis qualitas. Si ab hac caussa pendeat cognoscitur a ructibus acidis , vomitibus , coagulato lacte , fletu , flatibus. Haec urinae suppressio nascitur a consensu nervorum , quo collum vesicae

urinariae, et urethra vehementer constringuntur. Si pueri utero prodeuntes patiantur calculos, hoc evenit propter dispositionem haereditariam. Hujusmodi ischuria manifestatur particulis calculosis, quae fundum vasis petunt; a pueris ipsis qui assidue genitalia scabunt, plorant, et cum genitu emittunt urinam.

Tempore lactationis nil aliud fieri potest, quam rebus salubribus alere nutricem; puerulo praecipere balnea calida, unctiones oleosas, et exhibere oleum amygdalarum dulcium. Cum autem a mammis disjunctus sit puer, promovenda est alvus; et aliqua decoctio adhibenda leviter diuretica, ut graminis, cichorei, foeniculi. Etiam ad calculos necessaria sunt remedia. Itaque praeter balnea calida, unctiones oleosas, et sedantia spasmos, ut oleum amygdalarum dulcium. decoctionem radicis althaeae, liquorem anod. min. Hoffm., usurpanda sunt quae provehunt calculorum exitum, aut quae calculos ipsos possunt resolvere. Quamvis chemica curatio tuta non sit, juvat expendere urinas, et exquirere utrum praevaleat se-

cretio lithica, cum tentari possint alcalina; an redundent salia calcarea, aut magnesia, cum experiri possimus acida aqua diluta. Ad promovendum calculorum exitum conveniunt remedia quae sine acri stimulo augent urinarum secretionem, ut decoctio ononidis spinosae, infusio uvae ursi; et eodem tempore quae solicitant alvum, praesertim olea, balnea tepida, fomenta. Tandem ad scindendos calculos, exploranda sunt quae alias juverint, ut sapo venetus, carbonas potassae, sodae, folia uvae ursi. Tandem si nihil juvet operatione calculi sunt extrahendi.

CAPUT XXXIX.

DE PROLAPSU RECTI INTESTINI

Dicitur prolapsus recti intestini, si hoc ab ano exeat, aut morbus consistat in sola relaxatione membranae internae, aut in exitu partis superioris intestini ipsius. Relaxatio et exitus hujus membranae communior est, et ubi irritatio recti intestini turgorem inflammatorium in ea producat, portio inflam-

mata in expellendis excrementis exit ab ano. In pueris ob relaxationem internae membranae hujusmodi prolapsus frequentior est. Utilia sunt balnea frigida, et fomentationes per aliquot dies ex decoctione gallae. Si vero interna membrana quovis nisu, etiam leviori, excedat, contineri debet turundam in anum inducendo, fascia sustentandam. Adhibetur etiam pessarium ex ebure, aut gummi elastico paratum, donec haec membrana suam vim et contractilitatem nanciscatur.

Est prolapsus portionis superioris recti intestini, cum figuram oblongam praeferat et multum descendat. Hujusmodi prolapsus saepe nascitur a nimio conamine in alvo exoneranda. Necesse est ut haec intestini portio denũo intret; deinde pessarium est adhibendum. Anus autem compressis et fasciis sustinetur. Sanatio incerta est, quia difficile est quod pars amissum robur resumat. Aliquando opus est constante uti pessario, aut lamina ex ebure perforata, ut flatus libere transeat.

CAPUT XL.

DE DENTITIONE

Cum in pueris incipiant erumpere dentes plura molestant symptomata, ex quibus multa etiam a vulgo cognoscuntur, ut fluxus salivae ex ore, vomitus, diarrhoea, tumor et inflammatio gingivarum, calor oris, puer qui papillas nutricis mordet, etc. Bene procedit dentitio, si singillatim exeant dentes; contra si plures eodem tempore, maxime canini, quia tum aggrediuntur febres, vigiliae; pulsus varius, nempe celer, plenus, parvus, spasmodicus; respiratio celer; anxietas; tussis continua; spasmus cinicus; convulsiones; lethargus, apoplexia. In cursu dentitionis saepe contingunt vomitus, vel diarrhoea, quae symptomata si mitia, utilia sunt, et ideo non compescenda. Puer ante septimum annum non habet plus quam viginti dentes, qui dicuntur lactis, et erumpunt a septimo mense ad secundum annum, et septimo anno labuntur. Interdum vero dentes solito citius exeunt, quin uno vel

pluribus efformatis dentibus nascuntur pueri. Cum dentes ad lapsum disponantur, eorum radix conteritur, unde stabilitatem perdunt, et vacillant. Tum extrahi non debent, sed expectandum ut per se cadant. Dentes in initio efformantur substantia molli, glutinosa, pellucida in alveolis reposita, quae deinde durescit, et evadit ossea. Tempore dentitionis multa contingunt phaenomena accuratissime observanda, ut idonea suppeditentur auxilia. Etenim frequentes sunt convulsivi motus; tumescunt parotides; oculi inflammantur; tumefiunt tonsillae; comparent ulcera tonsillarum, quae ab Hippocrate de dentitione III. judicantur periculosa = ἐν ἰσθμίοις ἕλκεα τοῖσι νηπίοισι κινδυνώδεα. Ulcera tonsillarum in infantibus periculosa. = Praeter haec symptomata majori copia separatur bilis; urinae modo deficiunt, modo scatent, modo naturales, modo aquosae; saepissime per totum corpus observatur eruptio, quae scabiei offert speciem; insignis crurum debilitas; anasarca, et etiam ascites. In pluribus pueris vidi sub dentitione rachitidem expromi, quibus temere insitio va-

riolae vaccinae facta fuit. In nonnullis pueris ad rachitidem dispositionem latere non inficior, sed admodum probabile est insitionem hoc tempore factam ossificationis functionem conturbare. Ossificatio, seu formatio ossium est functio magni ponderis quae aut aegra puerorum valetudine, aut aliquo morbo, aut fortuita caussa facillime pervertitur. Ossificatio consistit in separatione phosphatis calcis in fluidis animalibus dissolutus, qui deponitur in organo cartilagineo quod partem ossium organicam format. Arbitror ideo, insitionem variolae vaccinae tempore dentitionis, non solum graviora reddere phaenomena dentitionis ipsius, sed etiam rectam ossium formationem conturbare.

Pueri incommodae valetudinis, et aetate teneriores sub dentitione magis periclitantur; quamvis etiam in debilibus interdum dentitio sit facilis et regularis; ideoque nullum urget discrimen. Dum vero dentes sero exeunt, de rachitide timendum est. Inter symptomata sunt quaedam nullius momenti, ut eruptio quae frontem habet scabiei, quippe sponte evanescit; quaedam utilia sunt,

dummodo mitia, ut vomitus, et diarrhoea; quaedam alea plena, ut febris vehemens, contumax alvi durities, convulsiones, ulcera serpentia tonsillarum cum febribus et tussi persistentibus. Inquit Hippocrates loc. cit. = *Ὀκόσοισι ταχέως ἐν παρισθμίοις νομαὶ ὑφίστανται τῶν πυρετῶν μενόντων βηχέων, κίνδυνος πάλιν γενέσθαι ἕλκεα τὰ παλινδρομήσαντα.* Quibus cito in tonsillis ulcera serpentia considunt, febribus ac tussi permanentibus, periculum est rursus generanda esse ulcera recurrentia. = Ita periculosum est si pueri sugentes non nutriantur, et consumantur. Item Hippocrates loc. cit. = *τὰ μὴ εὐτροφέα τῶν θηλαζόντων ἄτροφα καὶ δυσαναληπτα.* Sugentes qui non probe aluntur, macilenti fiunt, et aegre vires recolliguntur. = Quoad autem ulcera, alia sunt observanda. Hippocrates eodem lib. n°. II. = *τὰ ἐν παρισθμίοις ἕλκεα ἄνευ πυρετῶν γιγνόμενα ἀσφαλέστερα.* Ulcera in tonsillis citra febrem facta securiora sunt. = n.° III. = *ἕλκεα ἐν θέρει γογνόμενα ἐν παρισθμίοις χείρονα τῶν ἐν τῇσιν ἄλλισιν ὥρῃσι. τάχιον*

γάρ νέμεται. τὰ περὶ σταφυλὴν νεμόμενα ἕλκεα ἐν παριοσθμίοις σοζομένοισι τὴν φωνὴν ἀλλοιοῖ. τὰ περὶφάρυγγα νεμόμενα ἕλκεα χαλεπώτερα καὶ ὀξύτερα καὶ ἐπιπυλύ δίσπνοιαν ἐπιφέρι. Ulcera in tonsillis aestate facta pejora sunt quam in aliis anni tempestatibus, citius enim proserpunt. Ulcera in tonsillis circa uvam proserpentia in his qui servantur vocem alterant. Ulcera proserpentia circa fauces, graviora et magis acuta, ut plurimum spirandi difficultatem inducunt. =

Curatio quae pro dentitione nec facili, nec regulari instituitur, symptomata ut plurimum respicit. In primis emolliantur gingivae, et mitigetur dolor butyro recenti, aut syrupo mororum, aut butyro cacao. Deinde detur puero aliquod corpus manu tenendum, quod indere possit in os, quin sibi malum afferat, ut ad mandendum crusta panis. Interdum inflammatio gingivarum minitatur gangraenam; tum applicetur mel rosatum cum aliqua gutta salis marini. Si puer caussa dolorum orbetur somno, paullum syrupi papaveris prodest; si superve-

niat aliquod convulsivum symptoma adhibenda est aliqua gutta spiritus fuliginis in aqua theriacali. Si vero incessant spasmi vultus, trahatur sanguis, retro aures apponantur hyrudines. Si debilitentur crura, non ad ambulandum obstringantur pueri, ne ossa contorqueantur. Si paretur anasarca, aut ascites, non linquantur diuretica, et ego libenter adhibeo tincturam scillae pharm. Ferrar. quia praeter efficaciam, facilius pueris ministretur, cum paucae guttae bis in die sufficiant, quae etiam dari possunt cum syrupo quinque radicum aperientium, aut asparagorum. Si diarrhoea premat nimis copiosa, aliquot guttis laudani liquidi Sydenh. coercenda est. Si accendatur febris vehemens, quatuor pedibus applicentur hirudines. Si vero dentes non egrediantur, et plura et gravia producantur symptomata, a quibusdam expertissimis et doctissimis practicis proponitur gingivarum incisio, dum alii non omnino conveniunt. Hoffmann dum loquitur de morbis infantum pag. 476. inquit = Quod vero dentes erumpere plane renuunt, sectione ipsis parandus est exitus, et scalpello

membrana cui extremitates dentium incumbunt incidenda: quod ego experimentum ex voto successisse memini. = Contra Van-Swieten Tom. IV. pag. 731. = Caeterum diuturnus artis usus edoctus affirmo sectione hac raro opus esse etiam difficiliore dentitione. = Cum autem judicetur, incidendas esse gingivas, si pro incisivis dentibus fiat cum lanceola longa sectio; si pro molaribus, haec sectio fiat cruciformis. Secta gingiva introducatur spongia aqua tepida perfusa. Post factam incisionem modo per se erumpit dens, modo puer magis excruciatur, quia incidendae etiam sunt fibrae, quas dentis eruptioni opponuntur. Ut autem gingivarum incisio felicem habeat exitum, caute procedendum est. Etenim nunquam fiat sectio, nisi imminens sit dens, et haec profunda satis sit, scilicet usque ad dentem, secus inutilis prorsus est. Interdum etiam hisce adhibitis cautelis conglutinantur gingivae; unde repetenda est incisio. Nonnulli asserunt, hac repetita incisione suscitari convulsivos motus; ad hujusmodi motus, respondent alii, non tantum portendunt periculi, quantum sympto-

mata quae dentibus irritantibus et non erumpentibus producuntur. Cum infans dentitionis incommodis agitetur, non tam saepe lac sugat; nec nutrix cibos materie alibili scatentes edat; et spiritus quietem et tranquillitatem conservet.

CAPUT XLI.

DE CLAUDICATIONE

Quidam pueri vix incedere incipiunt, claudicare observantur. Caussa est synovia bursam ligamentosam articulationis femoris sensim sensimque replens; et interdum ejus copia tanta est, ut caput ossis a cavitate cotyloide propellat. Hoc non extemplo evenit, sed os prius in extremitate hujus cavitatis permanet; postea dum relaxatur ligamentum exit, et puer claudicat. Haec est universalis opinio. Intus flectitur genu, crus videtur brevius; os consumitur. Haec vero claudicatio etiam interdum ab alia caussa pendere mihi visa est, nimirum a laxitate ligamentorum; et tum alia deprehenduntur

symptomata, praesertim extremitas longior, nec genu intus inclinatur, et extremitas ipsa in quamvis partem flexibilis est. Mihi etiam videtur haec ligamentorum laxitas propter aliquam internam caussam in pueris contingere, ut est diathesis scrophulosa, venerea, rachitica. Vidi puellam a parente rachitico progenitam, propter debilitatem, et majorem longitudinem extremitatis inferioris dextrae, hac claudicatione laborantem, quae paullatim consumpta occubuit mortem.

CAPUT XLII.

DE CRUSTA LACTEA

Crusta lactea est faciei crustosa impetigo, distincta bullis, pustulis, ulceribus, ex quibus fluit viscosus humor; et hujus densatione formantur crustae squamosae, plus minusve cuti adhaerentes. Ut plurimum lactentes adoritur; in quibus crustae prius in fronte, postea in ore effinguntur. Modo hic morbus sponte et cito evanescit; modo permanet gravissimis symptomatibus conjunctus.

Hanc ob rationem crusta lactea fuit in benignam et malignam divisa. Primam antecedunt inquietudo, moeror, glandularum colli tumor, maculae rubrae, tensio, pruritus ubi erupturae sunt bullae, quae velut lentes luteolo humore implentur, quo dum bullae rumpuntur formantur crustae humidae et siccae, quae super totam faciem, exceptis palpebris, dilatantur. Nunc autem super caput, nunc per truncum et artus extenduntur, et dum cadunt nullum relinquunt vestigium; quamvis interdum remaneant foraminula, ex quibus defluit gelatinosus humor, quo novae crustae componuntur. Oculi perstant immunes; sed hoc non evenit, si eruptio sit difficilis. Si materies transferatur ad aures, a meatu auditorio fluit sanies. Incepta eruptione, puer est magis hilaris, lac libenter sugit, dormit, et regularibus gaudet dejectionibus. Dum autem pustulae exiccantur, puer languet, non quiescit, et minus quaerit ubera. Plerumque morbus ultra mensem non producitur. Si vero maligna sit crusta lactea gravissima sunt symptomata, et saepe lethalia, ut intolerabilis pruritus,

vigilia, anxietas, consumptio, fastidium alimenti, ulcera profunda quibus manat humor rodens, male afficiuntur oculi, surgit lenta febris, consequitur tabes, et mors. Itaque medicorum est cognoscere utrum crusta latea sit benigna, an maligna; et ab aspectu et observatione symptomatum, utrum sit recens, an vetusta. Recens enim cognoscitur a maculis rubris, calore, pruritu; deinde a bullis humore subluteo plenis, quae post aliquot dies arescunt: antiqua vero crusta ab inquietudine, comsumptione, molesto et gravi pruritu dum ad alias partes diffunditur, fastidio lactis, quietisque defectu.

Sexto vitae mense crusta lactea tentat pueros; sed interdum citius, interdum tardius; et illos praefert alba cute, genisque roseis florentes. Si sit benigna progignitur ubertate humorum; nam observatur in infantibus qui multum et optimum lac hauriunt: si maligna ortum habet a pravis humoribus, quippe evenit in illis aliqua lue affectis, et pravo lacte enutritis, ut est illud nimis provectae nutricis, aut cibis acribus, et aromaticis altae, aut vino et spi-

rituosis liquoribus deditae, aut vehementibus animi affectionibus commotae.

Si crusta lactea benigna sit et bene curetur, periculosa non est, ex adverso maligna; quin illa ut separatio salutaris putanda est. Etenim post paucos dies conformantur crustae; urinae male olent, non secus ac illae felis; facilis est sanatio. Etiam in benigna eveniunt salutares haemorrhagiae narium, et diarrhoea. Maligna autem est discrimine plena; maxime si curatio non bene procedat. Experientia edocemur, crustam lacteam aut per naturae vires, aut per artis auxilia sanari. Saepe enim sanatur, si qua perfecta crisis absolvatur. Perfecta et firma sanatio non obtinetur, si imperfecta sit crisis; et non raro sequitur abscessus aurium. Interdum etiam maligna remediorum ope sanatur, sine quibus natura certe quidem succumberet.

Cum in hoc morbo saepissime symptomata valde molesta sint, haec in primis sedare necesse est. Ad pruritum remedia sunt lotiones aquae tepidae, aut alicujus decoctionis emollientis: si crustae nimis sint sic-

cae lacte emolliantur; et ut serventur humidae, applicentur folia betae: ne oculi inhaerescant etiam lacte humectentur; sed nunquam violenter refigantur palpebrae, quia si avellantur cilia non reproducuntur: si in dorso ampliantur ulcera, sunt aqua vegeto-minerali Goulard coercenda: si nimis adstringatur alvus, aliquo levi purgante laxetur. Si crusta lactea sit praetermodum tenax, mutanda est nutrix, quae dum puer hoc morbo detinetur, nutriatur cibis non multi nutrimenti, quorum pleraque pars è vegetabilibus desumatur. Quoad autem remedia ad crustam lacteam, maxime celebratur herba violae tricoloris; sed non omnes hujus efficaciam plane admittunt, ut Girtanner qui asserit, parum esse a viola tricolori expectandum. Haec herba dari solet vel recens, vel sicca. Si recens coquitur manipulus in libra lactis vaccini, aut aquae communis. Post brevem ebullitionem coletur, et in duas partes dividitur, quarum una mane, altera vespere exhibenda. Si autem sicca et in pulverem redacta, datur dimidia drachma cum pulmento; aut drachma in lacte vel aqua

infunditur, et deinde coquitur, et in duas partes dividitur. Etiam post sanationem usus hujus remedii non linquitur. Practici autem alia suadent simplicia, inter quae est decoctio foliorum farfarae tussilaginis, quae fit cum dimidia uncia horum foliorum. Si crustae lacteae contingat retrocessio, generatim utilia sunt vesicantia; sed semper investiganda est retrocessionis caussa, ut usurpentur remedia quae magis idonea videantur.

CAPUT XLIII.

DE TINEA

Tinea est morbus pueritiae, cujus sedes est in radicibus capillorum, et affert pruritum, dolorem, calorem capitis; et quia modo detrahitur epidermis, modo caput crustis duris et squamosis tegitur, tinea dividitur in siccam et humidam. Sicca objicit crustas duras; humida, ulcera quae manant sanie. Posteriori aevo tinea sicca in crustosam et furfuraceam fuit distributa. Crustosa est cum condensata sanie formantur crustae

aridae, cuti adhaerentes; furfuracea, si pauco viscoso humore fingantur crustae aridae, compositae squamis furfuraceis cuti adhaerentibus. In tinea humida densata sanie generantur crustae molles, fere glutinosae, luteo-virides, non multum cuti adhaerentes. Ulcera hujusce tineae sunt sordida, foetida, depascentia cum inflammatis marginibus, dolentibusque. Cum morbus est gravior, afficiuntur organa, tumefiunt glandulae colli, supervenit lenta febris, et consumptio. Quoad autem symptomatum momentum, dividitur tinea in benignam et malignam. Benignam antecedunt pruritus, rubor, tumor, distensio cutis capillatae, et interdum tumor et dolor glandularum colli. Postea augetur pruritus, et prodeunt pustulae, quae circum inflammantur, cito crescunt, et humorem flavescentem et foetidum continent, quo coacto fiunt crustae ad album vergentes, variae firmitatis et figurae. Sub istis crustis secernitur ichorosus humor, unde nascuntur ulcera bulbos capillorum, et textum cellularem rodentia, urinae emittunt tetrum odorem similem illarum felis. In tinea maligna

pustulae abeunt in ulcera ex quibus manat ichor teterrimus, et inde crustis horridis et durissimis conteguntur. Hujusmodi tinea non inficit solum capillorum bulbos, sed etiam pericranium et ossa, unde caries ossium metuenda est.

Videtur proxima caussa benignae tineae esse benignorum humorum exuberantia ad caput; malignae vero vitiosorum. Aetas quae magis ad tineam capitis disponit est inter dentitionem et pubertatem. Inter practicos alii hujus tineae defendunt contagium, alii negant, alii non plane recusant. Experientia vero confirmat, non posse renui contagium, quod non semper eandem vim habet propter variam corporum dispositionem. Revera tineae capitis malignae, quae magis contagiosa est, pueri admodum sunt proclives, si qua diathesi afficiantur, ut venerea, scrophulosa, rachitica, scorbutica. Tinea capitis benigna, recens, ex artis legibus curata nullum portendit discrimen; contra maligna quae propter majorem contagii potentiam ad propagationem aptior est, gravibus et periculosissimis symptomatibus consociatur.

Sunt quidam scriptores, qui sustinent, pro tinea capitis sufficere externam et topicam curationem. Ego vero opinor, nunquam cum externa omittendam esse internam curationem, praesertim si tinea sit maligna, cum necesse sit meliorem humoribus conditionem largiri. Enecantur pediculi unguento ex butyro et seminibus veratri sabadillae composito; sed si temperamentum sit plethoricum, et magna partis capillatae capitis irritatio, applicentur hirudines retro aures. Constructae crustae emplastris emolliantur. Si haec non juvent ad alia remedia veniendum est; et ubi nullo modo tinea possit extirpari, oportet mitiori ratione evellere capillos, ut satis in instit. medic. pract. exposuimus. Si tinea sit maligna, efficacia remedia sunt antimonialia, mercurialia; balnea universalia; nuchae vesicantis applicatio; sed in pueris debilibus cortex peruvianus.

CAPUT XLIV.

DE SCABIE

Pueri propter mollitiem et laxitatem epidermidis et cutis facile contrahunt scabiem. Cum haec sit simplex, recens, et ad normam curetur, nullum affert discrimen. Interdum sufficit munditics, conveniens diaeta, et unctio unguenti sulphuris. Maxima vero diligentia adhibenda est in curandis pueris diathesi scorbutica, scrophulosa, venerea implicatis, in quibus difficilis est curatio, et frequenter graves retrocessiones contingunt. Externa curatio saepe non sufficit; sed necessaria etiam sunt interna remedia, praesertim sulphur sublimatum cujus duo vel tria grana dantur in calido lacte, quae repeti possunt; sed ex usu est levi purgante curationem incipere. Si puero dari non possunt flores sulphuris, porrigantur nutrici. Fiunt unctiones ex unguento sulphuris, sed ad hujus evitandam graveolentiam a quibusdam adhibetur unguentum citrinum. Pro pueris vero componitur ex duabus partibus adi-

pis et una unguenti citrini; dum pro adultis ex duabus partibus unguenti citrini et una adipis. Cum fiat usus unguenti sulphuris anteaquam puer lecto acquiescat, ungantur digitorum interstitia, carpos, et alias etiam corporis partes. Paucis unctionibus se surripit scabies. Si vero haec sit complicata, pro distinctis compositionibus eligantur remedia, ut antivenerea in complicatione syphilidis, praesertim aliquod granum mercurii dulcis.

CAPUT XLV.

DE APHTHIS

Aphthae, ἄφϑαι, constituunt exanthema, quod constat pustulis albis, cinereis, rotundis, superficialibus, grano milii similibus, saepe seroso humore plenis, in earum parte media foraminulum offerentibus, modo solis, modo conjunctis. Hoc exanthema in orphanotrophiis, locis humidis, et insalubribus familiare est. Symptomata ante hujus eruptionem sunt febris, vigilia, inquie-

tudo, difficultas sugendi lac, linguae siccitas, sitis, nausea, vomitus, dolores abdominis cum fluxu coloris viridis, calor labiorum et oris, fletus. Post tres aut quatuor dies comparent aphthae, prius solitariae, postea copiosiores; et ubi sunt erupturae, partes rubore et tumore afficiuntur. Eruptionis tempore ingravescunt symptomata, et alia adjunguntur. Pueri enim difficultate lac exsugunt et deglutiunt; superveniunt singultus, raucedo, languor, pallor, diarrohea, dysenteria, inflammationes intestinorum. Hujusmodi symptomatum multiplicitas et varietas dependet etiam a natura locorum, quae aphthis occupantur. Nam si aphthae in faucibus egrediuntur, difficilis est deglutitio; si in ventriculo excitatur vomitus, et singultus; si in intestinis egestiones chyli; et si haec symptomata perseverent, sequitur consumptio et mors. Aphthae in earum cursu molliuntur, labuntur, et colorem rubrum relinquunt: postea aliae nascuntur, et interdum tam confluunt, ut omnino linguam, et oris cavum contegant. Anteaquam aphthae cadant, constituunt crustam, quae dura est

in illis labra obsidentibus. Color aphtharum, ut diximus, est albus cinereus; sed postea fit lividus et niger. Cum aphthae fiunt gravès et extenduntur, torquent molesta deglutitio, singultus, dolores abdominis, diarrhoea, dysenteria, consumptio. Negari non potest aphtharum contagium, et ad hoc suscipiendum parati sunt qui lacte vetusto, acri, spisso nutriuntur; aut aliquo morbo affliguntur. Observata confirmant, secundare hujus morbi evolutionem corruptum orphanotrophiorum aërem: et qualitatem aëris frigido-humidam.

Primum observandum est utrum aphthae sint benignae an malignae. Tanta enim interdum est earum benignitas, ut nulla, aut simplicissima egeant curatione, quae in illiniendis aphthis melle rosato, aut syrupo mororum; et in exhibendo syrupo de cichorio cum rhabarbaro circumscribitur. Ad praesagium statuendum etiam aetas puerorum, et temperamentum considerationem merentur. Nam paullo post ortum majus est discrimen; optimum temperamentum ad sanationem oppido contribuit. Si aphthae ultra os non ex

tendantur, augetur spes; contra imminuitur. Fausta symptomata sunt color albus aphtharum; harum facilis separatio; humiditas oris; post eruptionem symptomatum imminutio. Ex adverso aphthae nigrae, quae gangraenam, et omnia morbi malignitatem patefacientia, ut ipsae aphthae quae è conspectu evolant, et cito, et majori copia revertuntur, gravissimisque symptomatis comitantur. Maximum autem urget periculum, si in tracheam et pulmones descendant aphthae, si sint confluentes, et ab ipso initio fuscae, et profundae; crustae crassae, et tenaces; deglutitio, et respiratio inhibita; partium gangraena; immodica salivatio; dolores abdominis cum diarrhoea; dysenteria; convulsiones; et cum in superficie corporis maculae, et vesicae coloris violacei prodeant, imminet mors. Sectione cadaverum ab ore usque ad anum incrustatio materiae albae, viscosae, tenacis invenitur.

Generalia remedia sunt emollientia, edulcorantia, abstergentia, roborantia: tenue alimentum. Si vero in ventriculo cumulentur aciditates, conferunt absorbentia; si gastri-

cae sordes, emetica, et purgantia; si maxima sit universalis debilitas, tonica. Vitanda sunt frigida gargarismata, frigidaeque potiones; sed gargarismata esse debent tepida ex decoctione hordei cum lacte, aut cum melle rosato. Sunt qui cataplasmatis emollientis collo applicationem praecipiunt. Perfundi solet os pueri decoctione salviae cum aliquantisper mellis, nimirum in hac decoctione immergitur pannus lineus, quo digitus involvitur, in os pueri inducendus. Aphthae etiam melle rosato, aut syrupo mororum cum acido sulphurico inunguntur, aut aqua tepida cum vitriolo albo eluuntur. Celebratur etiam borax, qui partibus affectis apponitur, uniendo scilicet dimidiam drachmam boracis cum uncia mellis. Praeparantur quoque gargarismata cum dimidia uncia decoctionis hordei, et duabus drachmis boracis et mellis. Si aphthae sint nigrae, adhibeatur cortex peruvianus; si crustosae, adhaerentes, etiam in oesophago, ventriculo, intestinis, utiles sunt decoctiones emollientes cum lacte, et etiam resolventia, ut succus raparum sativarum cum melle rosato, cujus

detur cochlear infantile; aut decoctio raparum ipsarum; jura carnis vitulinae cocta cum oryza et rapis contritis. Cum decidant crustae, partes excoriantur, et dolent; ideoque juvant emollientia, et demulcentia, ut muccilago gummi arabici, seminum cydoniorum in aqua tepida soluta et melle, vel aliquo syrupo edulcorata. Si formentur ulcera quae ad gangraenam disponunt partes, in quibus aphthae habuerunt sedem, corticis peruviani et camphorae conducit usus. Admonenda est nutrix, ut os pueri detergat aqua tepida cum grano vitrioli albi antequam illi porrigat ubera. Os exulceratum muccilagine seminum cydoniorum cum aequali quantitate syrupi sedi majoris tangatur. Si inter symptomata sit immodica salivatio, et diarrhoea, conveniunt roborantia; sed si appareat aliquod dysenteriae signum, emulsio arabica est adhibenda. Circa morbi finem non linquatur mite purgans, ut materiae impurae, irritantesque humores expellantur. Alimentum sit liquidum et tenue; vinum valde dilutum cum decoctione panis concedatur. Si impossibilis sit deglutitio, fiant clysteres ex

lacte, aut ex jure carnis vitulinae cum ovorum vitellis. Practici omnes ut per externum corpus aliquid introducatur, balnea, fomenta, immersiones manuum et pedum in lacte aqua diluto suadent. Cum morbus ingravescat, ingens sit virium debilitas, et convulsiones aggrediantur, utilia sunt cardiaca, cortex peruvianus, radix contrajervae, castoreum, etc. Cum aphthae diu perstiterint, victus sit saluber; et maxime convenit lactis, et edulcorantium usus, ut et decoctionis ex cortice peruviano; et tandem puerum in aërem salubrem ducere.

CAPUT XLVI.

DE HYDROA

Hydroa, ἵδρωα, est impetigo distincta pustulis, seu potius phlyctaenis, granis milii similibus, quae sunt plus vel minus numerosae, prurientes; non contagiosae, fugaces, in squamulas vel furfures abeuntes. Hujusmodi morbus aut est levis, aut gravis. Levis a Latinis appellatur sudamen; gravis

a Graecis dicitur epinyctis , ἐπινυκτὶς , quae pustulam nocturnam significat. Pustulae in epinyctide sunt majores , ut aequent fabam. Hic morbus dum est primarius nascitur a caussis , quae agunt in cutem , eamque lacessunt. Hydroa sudamen est levissima affectio , quae exiguis pustulis in facie , in pectore , in dorso , in extremitatibus superioribus et inferioribus distinguitur. Hae pustulae sunt albae , pellucidae , margine rubro interdum circumdatae, quae confestim desquamantur. Cum caletur maxime nonnullae harum pustularum inarescunt ; sed dum aridae fiunt , aliae comparent non sine aliqua molestia. Hydroa epinyctis perraro a nobis observatur , cum sit morbus proprius calidissimarum regionum Africae et Asiae. Hujus pustulae ut inquit Plinius sunt liventes , noctibus inquietantes cum acerbum afferant dolorem , plus vel minus numerosae , et ut plurimum apparent in tibiis , aliquando in brachiis et trunco. Dolor pustularum , aut phlyctaenarum , ut et pruritus noctu exasperatur ; calor fit ardens , et saepe cum anxietate et vigilia expergiscitur febris. Cum

disrumpuntur phlyctaenae humor mordens et sanguinea lympha effunditur; deinde exiccantur, et in squamas abeunt. Lympha sanguinea denotat acrimoniam qua roditur aliquod vasculum, unde exit pauxillum sanguinis, qui lymphae ipsi miscetur. Indubium est quin ingens sit irritatio, quae interdum in propinquis partibus circumscribitur, in quibus suscitatur dolor et inflammatio; sed cum extendatur, et universalis fiat, accenditur rapida febris cum aliis febrilibus symptomatibus. Nemo adhuc exposuit quare epinyctis, ejusque symptomata, maxime dolor et pruritus noctu exacerbetur.

Quaecunque sit morbi species, caussa est cutis, et vasorum lymphaticorum irritatio plus vel minus considerabilis. In sudamine haec irritatio producitur ab acri sudore, vel sudore retento. Huic morbo proni sunt pueri propter mollitiem cutis. In epinyctide irritatio est fortior, quia a vehementissima actione solis in regionibus Africae et Asiae nascitur. Cursus sudaminis brevis est et nullius discriminis; dum epinyctis est

gravis morbus, et periculo plenus, ut omnes testantur scriptores.

Hydroa sudamen sponte solvitur, et ideo simplicia et pauca sint remedia; aut solum satis est diaeteticum regimen dirigere. Fiunt ergo ablutiones aquae simplicis; aut cum pauco aceto; aut cum aqua plantaginis, vel rosarum: victus eligatur refrigerans. Si morbus sit tenax, ut evenit aestivo tempore, porrigatur leve purgans salinum. Quam morbus sit tam benignae indolis, vitanda est retrocessio, quae internas irritationes et graves posset parere. Si hae forte contingerent, quamvis interdum expediant sanguinis missiones, ut plurimum sufficiunt balnea universalia tepida, levia diaphoretica, ut eruptio pustularum revocetur. In curatione epinyctidis generatim proficiunt purgantia antiphlogistica; alimenta refrigerantia; fotus et cataplasmata emollientia, quae irritationem imminuunt. Ad allevandum autem dolorem juvant narcotica, ut granum extracti hyoscyami, et etiam fotus et cataplasmata emollientia, quibus infusio papaveris albi, aut hyoscyami addi potest. Ulcera, quae post

phlyctaenarum ruptionem remanent, saturninis lotionibus curantur. Si felix fuerit morbi exitus, lactis usum, praesertim asinini maximae utilitatis esse credo. Inquit Lorry de morbo cutan. artic. II. §. V. de epinyctidibus pag. 266. = At cessante malo, atque jam defervescente ejus ferocia, proderit multum illud a tergo insequi per diaetam lacteam atque asinini praesertim lactis sero et mane assumpti usum; quod lac verno praesertim tempore, postea vero autumnali, plures per annos iis praescribendum est quibus cutis aegrotavit ex illo praesertim genere morborum qui pendent ab acrimonia serum infestante, et mucosam sanguinis partem integram sinunt, modo tamen biliosus humor recte per intestina defluat, exitumque sibi perpetuum conciliet; nam nemo adeo pustulis scatet, atque illi in quibus hepar bile retenta turget, uti abunde observatum est. =

CAPUT XLVII.

DE STROPHULO

Strophulus est papulosa aegritudo, quae plerumque primo vitae anno comparet, sed interdum secundo, aut tertio. Papulae modo sunt rubrae, modo albae, saepe in facie et in extremitatibus superioribus erumpentes, interdum in universa corporis superficie. Willan plures hujus impetiginis statuit varietates, quae sunt strophulus intertinctus, albidus, confertus, volaticus, candidus. Intertinctus corripit recens natos in facie, antibrachiis, dorso manuum, et interdum in toto corpore. Papulae saepissime discretae stigmatibus, largis rubris miscentur; et in dorso manuum vesicae sero repletae. Albidus apparet primis vitae mensibus ejusque papulae sunt in facie, collo, pectore, interdum levi rubore circumdatae. Confertus distinguitur a plurimis pustulis rubris inter quartum et quintum vitae mensem circa genas, et frontem exeuntibus; sed aliquando circa septimum et octavum mensem sub for-

ma macularum rubrarum in dorso manuum, brachiis, scapulis, et hujusmodi maculae sunt largae, irregulares, densae, quae postea exiccantur. Tamen nonnunquam occupat prius crura, deinde fertur ad superiores partes, producit ruborem, et in squamas fatiscit epidermis. Volaticus constat exiguis maculis circularibus et papulis rubris, quae in variis partibus elevantur, et interdum cum levissima febre. Haec varietas est infrequens et cursum habet trium septimanarum vel mensis. Candidus versus finem primi vitae anni cognoscitur a magnis papulis albis, discretis, quae in lumbis, scapulis, antibrachiis prodeunt. Omnes hae varietates facile describuntur, sed fere nunquam hac distinctione observantur, quia characteres confunduntur, nec possunt conspici sicut panxit Willan, quamvis majore praecisione albidus, et confertus distinguuntur. Quapropter considero strophulum ut morbum papulosum, qui dividi debet in primarium symptomaticum, secundarium, criticum. Primarius ortum habet a caussis propriis cutem irritantibus: symptomaticus oritur a laboriosa dentitione;

a gastricis impuritatibus, et plerumque ejus papulae sunt maculis mixtae; a febribus gastricis, et in hoc etiam papulae stigmatibus et maculis immiscentur: secundarius venit post cursum alicujus acuti morbi; criticus, qui evidenter resolvit morbos. Strophulus evenit in pueris, quibus lac nutricis non convenit, aut lac non bonis pollet qualitatibus; in debilibus, et cacochymicis, quamvis etiam in robustis observetur propter nimiam humorum quantitatem qui ad cutem feruntur.

Plerumque strophulus cum est primarius, et pueri quietem et hilaritatem conservant, non est gravis morbus; sed non semper est brevis, et timenda est ejus retrocessio, et ideo removenda est actio frigidi aëris, et usus balneorum frigidorum. Dum est symptomaticus auget molestias primarii morbi. Secundarius, et criticus generatim primariorum morborum levamen affert, a quibus habuerunt originem.

Curatio saepe nititur debita aëris temperie; et si quid fieri debeat, pendet a cognitione caussarum. Propterea si caussa sit

puerorum debilitas, praemissa, si expediat, levi purgatione, remedium est aliqua ferri praeparatio: si sint gastricae sordes, aut aciditates, levia purgantia, et absorbentia: si pravae lactis qualitates, hae sunt corrigendae; sed si aut hoc obtineri non potest, aut lac non sit naturae pueri consentaneum, permutanda nutrix est. Diligenter conservetur mundities, et insensibilis perspiratio; nec frequentes lotiones aquae tepidae sunt omittendae.

CAPUT XLVIII.

DE CRINONIBUS

Pueri trium vel quatuor mensium aliquando in partibus superioribus corporis inaequalitatem cutis exhibent sub forma punctorum subfuscorum, prurientium, quae plus vel minus se manifestant, et evanescunt; et hoc in universa etiam corporis superficie adnotatur. Modo pueri appetunt alimentum, sed macrescunt; modo nec lac, nec ullum sumunt alimentum; parum dormiunt, et

brevis somnus anxius est; calent, et convulsionibus prehenduntur. Haec symtomata modo sunt magis, modo minus incommoda, ut pruritus, praesertim noctu calore lecti; inquietudo; vigilia; anxietas; febrilis motus; alvus adstricta. Quoniam frictionibus super cutem prodeunt ab illis punctis exigua et subtilia corpora, haec tamquam vermiculi habita fuerunt, et hujusmodi opinio fuit fere universalis; dum alii censebant caussam esse tenacem muccositatem cutis, defectu munditiei genitam, quia apud pauperrimos in maxima sorditie jacentes hic morbus observatur; alii autem esse pilorum bulborum vitium. Quaecunque vero sit caussa, descripta symptomata ut morbi propria sunt existimanda.

Non semper hic morbus periculosus est; sed semper pueri patiuntur symptomatum molestiam, unde sequitur macies. Generatim inter symptomata convulsiones praenunciant mortem. Apud auctores doctissimos non desunt sanationis exempla remediorum ope; sed sanationes comparantur etiam per munditiem, et naturae vires. Remedia sunt frequentia

balnea calida; frictiones super cutem panno laneo factae, et per totam corporis superficiem; et quae conciliant quietem. Si pueri sint lactentes, nutrix a vino, rebus acribus, sale et aromatibus conditis se abstineat, et pro potu adhibeat decoctionem hordei, aut emulsiones amygdalarum dulcium. Si autem pueri fuerint ab uberibus depulsi, juvat levis purgatio; deinde quotidianus caprini lactis usus, quod adhiberi potest ut absolutum alimentum, dummodo hoc ferat natura pueri. Hoc inter alios docet Lorry op. cit. pag. 585. inquiens = aut si jam ablactato infanti malum accidat, posthabitis omnibus, praeparata debite alvo, et expulsis, si quae supersint, a bile praesertim depravata quisquiliis, nihil melius proderit quam usurpasse usum quotidianum lactis, quod pro universali nutrimento adhiberi potest, quandiu ferre poterit natura. =

CAPUT XLIX.

DE RANULA

Ranulam puerorum ab illa adultorum differre plane arbitror. In his enim est tumor sub lingua productus collecta saliva in ductu Warton per quem ex glandula submaxillari in os saliva effunditur. Ante reperta anatomica, et accuratas observationes plures cum Fabricio ex Aquapendente, inter quos Heisterus, ranulam tumorem cysticum ex genere meliceridum esse credebant; sed hodie conveniunt omnes esse salivae condensationem, quae cum non possit per ductus salivales transire, colligitur sub lingua et efformat tumorem. Hujusmodi tumor est plus vel minus durus, prout major vel minor est salivae condensatio, et cum saliva muccus et concretiones. Ranula vero puerorum est sub lingua tumor carnosus, durus, magis aut minus extensus. Propter hunc tumorem lingua fit fere immobilis; puer non potest lac sugere, nec deglutire. Diversa harum ranularum natura ab operatione cognoscitur,

quae in utraque necessaria est. Nam pro ranula adultorum oportet duplici unco retinere tumorem et forficibus portionem secare. Ita salivae et collectae materiae effluunt; deinde adhibendis gargarismatibus expletur curatio. Verum pro ranula puerorum fieri debet tumoris sectio, qua restituitur motuum libertas; sed quia hic tumor est vasis sanguineis refertus, in haemorrhagiam periculi plenam incurrimus.

CAPUT L.

DE GANGRAENA SCORBUTICA GINGIVARUM

Gangraena scorbutica gingivarum, quae appellatur etiam carcinoma, malum mortuum, etc. oritur ab insalubribus, immundis, frigidis, puro aëre orbatis habitationibus; pravisque alimentis. Interdum hic morbus incipit sub benigna specie, sed ut plurimum puer est debilis, pallidus, et cujus halitus valde foetet; symptomata per plures hebdomadas sunt calor, sitis, diarrhoea, inappetentia, vigiliae, questus. Postea pal-

pebrae et corpus tumefiunt, sed hic tumor desinit. In principio morbi observatur levis rubor in ore, nimirum in gingivis, labiis, lingua, amygdalis; urget dolor, calor moderatus. Haec intensiora fiunt, praesertim dolor; jamque deprehenditur gangraena, quae post evadit profunda. In pueris cito partes vicinas invadit, manifestatur pustula nigri coloris, quae crescit et dilatatur. Emittitur intolerabilis foetor; gingivae fiunt nigrae, subvirides, graveolentes; dentes vacillant, labuntur; effunditur foetens et aquea saliva; sejungitur maxilla inferior; facies, lingua, labia delentur; ossa faciei et capitis emolliuntur, destruuntur; diarrhoea quae vires frangit; partes prope anum excoriantur; maxima est anxietas; tremores; pulsus parvus, frequens; respiratio anxia, brevis; urinae rubrae, fuscae; manuum, et pedum frigus; foetor cadaveris ex ore; plane deficiunt vitales vires; tandem sensus ab excruciato corpore secedunt. Adnotabile est quod Van-Swieten Tom. I. §. 432. pag. 767. commemorat. = Tristissima mala vidi, quorum non sine horrore recordor, et pauperum infanti-

bus, dum in initio neglectum fuerat hoc malum, vel perversa tractatum medela. Gingivarum enim gangraena proserpente malo non tantum destruxerat dentes, qui jam prodierant, sed et futurorum rudimenta in alveolis latentia sic corruperat, ut miselli illi jam ab ineunte aetate senectutis incommoda ferre debuerint, edentuli facti. Sed levia haec sunt: corruptis gingivis totam fere maxillam inferiorem osseam cecidisse vidi, linguam erosam, labia, genas, mentum, exesa omnino, donec mors tantis malis finem imponeret. Tantus autem foetor comitatur hoc malum, ubi ad summam malignitatem pervenit, ut ferri nequeat. = Natura igitur hujus morbi lethalis est, ut cognoscitur a symptomatibus, quae eum comitantur. Tamen omnes practici arbitrantur, continuum suctum foetidissimae et corruptae saniei, quae a gingivis manat et fluit, et in ventriculum descendit, rapidi cursus et funesti exitus morbi caussam esse.

Morbus qui in initio non tantam gravitatem, nec gangraenosum characterem revelat, curatur lotionibus ex aqua et aceto,

aut infectis gingivis applicantur pulvilli hac mixtura madidi; aut adhibentur lotiones ex aqua et tinctura laccae. Saepius vero usurpanda sunt acida mineralia, praesertim acidum muriaticum. Hujus acidi scrupulus cum dimidia uncia mellis rosati miscetur, et penicillo in hanc mixturam immisso saepe tangantur gingivae. Valentissimum autem auxilium est cortex peruvianus, qui aut interne sumitur aut externe nuper pustulam gangraenosam, aut ad parandos clysteres adhibetur. Interdum felicem habuit exitum incisio partium gangraena affectarum, et applicatio pulvillorum aliquo liquore adstringenti imbutorum. In instituenda vero incisione, curandum est ne deglutiatur sanies quae abunde a gingivis effluit. Post absolutam operationem exiguae et oblongae spongiae solutione aquae Rabel et aluminis perfusae gingivis admoventur, ut imminuatur exitus saniei, et quae effunditur spongiis ipsis absorbeatur. Post aliquod tempus hae spongiae eripiuntur, et fiunt oris ablutiones ex acido muriatico diluto. Necesse etiam est, anteaquam pueri alimenta sumant, vel potio-

nes, aliquo acido vegetabili aut minerali os collui.

CAPUT LI.

DE LUE VENEREA

Lues venerea in infantibus post aliquot dies ab ortu per quaedam symptomata animadvertitur, qui a parentibus eadem lue infectis nascuntur. Inter haec symptomata est inflammatio palpebrarum; mox rubescit et inflammatur etiam cornea; cumulatur puriformis materies: deinde ulcera infestant totum corpus, quae emittunt materiam purulentam, praeferunt crustam albam instar lardi; tandem fiunt nigra, et gangraenosum characterem ostendunt; comparent ulcera in ore, dum palatum et velum palati est coloris vivaciter rubri, et istis ulceribus pueri suctu nutrici transmittitur infectio: praeterea sub aspectum cadit lenta macies; percolatio puriformis ex palpebris, et auribus; mucci subviridis, et subflavi ex ano; tumores in superficie corporis, qui transeunt

in suppurationem, et evanescunt; etiam in capite surgunt tumores modo molles, modo duri; facies luteo-livida, rugosa; palpebrae magis magisque tumefiunt, cornea fit obscura, oculus inflammatur; super corpus extant maculae liventes, coloris aenei; circa anum ulcera, rhagadesque.

Pueri vel a parentibus vel a nutricibus apisci possunt veneream luem. Si inficiantur a parentibus, aut sub actu generationis contrahunt luem, aut tempore graviditatis vel partus. Circa haec vero scriptores, praesertim nostrae aetatis, animo pendent. Etenim dubitatur an genitor venerea lue laborans habeat infectum semen. Si sanguis inquiunt, si saliva, si lac non inquinatur, quomodo semen? Nihilo tamen minus observationibus certiores facti sumus, integra matre, ab infecto patre natam esse prolem eadem lue vitiatam. Negatur ab infecta matre foedari prolem in ejus utero manentem; et putatur puer tempore ortus contrahere luem, cum nimirum transeat per vaginam, dum vitia venerea localia partes generationis corrumpunt; siquidem infantes habent cutem subtilis te-

xturae, meatusque patulos. Indubiae vero observationes confirmant, infantes in utero posse infici, et ab ipso utero venereum germen transferri, quod interdum per plures annos manet occultum. Nulla enim vitia in partibus genitalibus matris fuerunt observata. Infans ab infecta matre recipit temeratos humores, quibus et ipse coinquinatur; et ideo dum venit in lucem est debilis, macer, plorans, inquietus; corporis superficies maculis coloris aenei polluitur; non desunt etiam ulcera, maxime circa anum ex quo percolat humor subviridis; epidermis desquamatur; vox est stridula. Pueri igitur qui generantur a parentibus lue venerea infectis, infectionem in ipsismet patefaciunt debilitate, macie, inquietudine, fletu, vigiliis, dispositione ad plures morbos; morbis qui ab eadem lue originem habent, ut sunt hydropes, exulcerationes, ossium deformationes, etc. Si infecti sint pueri, rubrae et tumidae nutricum fiunt papillae et areolae; prodeunt etiam exiguae pustulae, quae dum rumpuntur, relinquunt ulcuscula.

Mulieres syphilide infectas nunquam parere sanos pueros, quin interdum mortuos experientia edocemur. Infantes qui ante ortum venerea lue tenentur, difficile curantur et sanantur. Lactentes interdum citius sanantur quam illi qui non amplius lac sugunt; probabiliter quia promptius agunt praeparationes mercurii. Symptomata sunt plus minusve gravia, sed aliquando gravissima, ut tumores capitis; fissurae, et ulcera circa anum; etiam ulcera in superficie corporis, quae evadunt nigra, et minitantur gangraenam. Signa autem mortis sunt universalis consumptio; tumores qui circa os sacrum et ad regionem umbilicalem exoriuntur.

Mercurius est absolutorium remedium quod aut nutrici, aut puero porrigitur. Dum lactentes laborant venerea lue est quidem aerumnosa conditio. Etenim si nutrix sit sana ab eo vitiatur; si eligatur infecta nutrix magis inquinatur puer. Idcirco a quibusdam practicis decretum fuit, lac caprae dari puero, quae, tonso prius vello, in aliqua corporis parte ungitur unguento mercuriali. Huic

vero methodo plura objiciuntur, praesertim gingivarum inflammatio, quae in capris post unctionem mercurialem confestim supervenit, unde non amplius possunt edere. Praeterea chemica experimenta ostendunt, lac non continere mercurium. Tutior igitur ratio est, puero vespere quotidie exhibere dimidium granum mercurii dulcis; nam pueri tolerant mercurium, nec facile in ipsis promovetur salivatio. Praeter autem mercurium usurpari possunt antivenerea, ut decoctio guajaci officinalis; decoctio aut syrupus sarsae parillae, dulcamarae; etc.

CAPUT LII.

DE RACHITIDE

Rachitis, ῥαχῖτις est mollities et deformitas ossium propter aberrationem, et defectum secretionis phosphatis calcarei. Frequenter hic morbus aggreditur dentitionis tempore; interdum circa tertium vel quartum vitae annum, et etiam juvenili aetate; aut post institutam castrationem. In princi-

pio morbi articulationum ossa molliri incipiunt; etiam spina vertebralis quae augescit et contorquetur; cutis flaccida et pendula. Deinde observabilis est ossium obliquitas; relaxatio musculorum; difficultas, et impossibilitas incedendi. Anteaquam compareat morbus, quaedam praesto sunt signa, quae ad hunc ipsum morbum proclivitatem indicant. Pueri specie valentes, debilitantur, pallent, fiunt tristes, inertes; cutis, et musculi praesertim extremitatum inferiorum flaccescunt. Glandulae inclinant ad duritiem, quia posita rachitica diathesi glandulae vigorem perdunt, et haec est ratio quare rachitis saepissime conjungitur cum tabe mesenterica. Post antecedentia signa apparent quae morbi propria sunt, ut nodi articulationum; caput magnum; os frontis prominens; recedunt suturae; dilatantur fontanellae; oculi emissitii; venae, et arteriae colli turgescunt; collum subtile in ratione magni capitis; dentes sero erumpunt, post nigrescunt et delabuntur; saliva assidue fluit ab ore; appetitus modo vorax, modo deficit, modo manet consuetus, sed mox extenuatur, et conse-

quitur macies ; tumet abdomen ; functiones laeduntur ; femur , fibula , radius , clavicula , spina vertebralis variis in locis , et varia directione propter gravitatem corporis , et musculorum conamen flectuntur ; elevatur , et acuitur sternum ; deprimuntur costae , et ad sternum in extremitatibus inflantur ; ossa pelvis deformia, obliqua, intus convexa. Dum pervertuntur ossa , musculorum vires enervantur ; non amplius pueri incedunt , et flectunt caput super pectus. Ut plurimum conservantur vires intellectus, quin solito citius evolvuntur ; sed rachitici sunt malevoli , contumeliosi , mordaces, dicaces , invidi , libidinosi. Tamen non desunt bona indole , et virtute praediti , in ferendis incommodis patientes , et Dei voluntati submissi , quorum plures ego cognovi. Praeterea in rachiticis anxia saepe est respiratio ; vox rauca , et ravis ; rugae exarant faciem , quae magis fit laxa , et tumida ; augetur hepatis volumen ; obstruuntur glandulae mesenterii , proindeque consumptio , hydrops , febris lenta , mors.

Probabile admodum videtur, caussam rachitidis proximam esse universalem debilitatem, acidamque humorum indolem. Propter enim hanc caussam absolvi non potest ossificatio, seu ossium formatio a physiologis inter functiones animales posita, utpote quae magnum habet influxum quoad valetudinem, et animalium robur. Etenim non satis in ossibus separatur phosphas calcis, qui sine ordine distribuitur, et vasis lymphaticis absorbetur; et ideo aufertur ab ossibus materia calcarea, quae sectione cadaverum in istis vasis invenitur. Devius phosphas calcareus evacuari videtur per urinas, quae in rachiticis phosphate calcis abundant, ut jam demonstravit Fourcroy. Ab hoc nascitur mollities, inaequalitas, obliquitas ossium. Sanguis autem rachiticorum aciditate scatet; nam effervescit, si liquori ammoniacae misceatur. Caussae quae ad rachitidem disponunt, sunt temperamentum debile, lymphaticum, habitus corporis scrophulosus, origo a parentibus infirmis, ad senium vergentibus, et qui rachitide laborarunt. Excitantes vero caussae sunt clima humidum, frigidum; pravum lac;

insalubria alimenta ; immundities ; nutrix rachitica , scrophulosa , scorbutica , venerea.

Rachitis modo levis est , modo gravis. Quo pueri sunt aetate teneriores , eo gravius est discrimen ; nam ante dentitionem afferre potest mortem. Si vero morbus non tam cito adoriatur ; si pueri vigor non sit fractus ; si dum recens est morbus non negligatur curatio , bonus sperandus est exitus. Si vero rachitis ultra septimum annum extendatur , difficile curatur , et luctuosa esse possunt consectaria ; sic si rachitis haereditaria sit. Quoad autem curationis exitum , non parum contribuit anni tempus ; nam aestate , et dum aër est siccus , facilius quam hyeme et aëre humido curatur. Constanter autumno et hyeme intensiora sunt symptomata , ut hydropes, asthma, impossibilitas standi, diarrhoea , retentio urinarum, obstructiones glandularum mesenterii , febris hectica , convulsiones. Cum autem mors appropinquet , adnotatur mutatio vultus , obscurantur oculi , oedema pedum, halitus foetidus , urgent convulsiones. Sunt vero inter symptomata , quae peculiarem animadversionem merentur. Spu-

tum sanguinis, et haemorrhagia narium praeportant dissolutionem sanguinis; quamvis interdum a pulmonum vitiis proficiscuntur: alvi durities est malum signum, si ante morbum alvus descendebat: cum surgat febris, observanda est ejus indoles, quia traditum est, interdum febrem solvere rachitidem.

Sectione cadaverum viscera abdominis inveniuntur dura, praesertim hepar obstructum, scirrhosum, coalitum diaphragmati; pancreas, et glandulae mesenterii obstructae; intestina aëre distenta: in cavitate capitis, maxime inter duram et piam meningem, spectabilis aquae quantitas, quae est etiam in pectore, et intra pericranium, et in cavitate abdominis: cerebrum naturali mollius; vomicae in pulmonibus; venae colli sanguine turgidae; ossa mollia, fragilia, carie exesa, inaequalia, scabra, eorumque fibrae dilatatae; musculi extenuati, et diluto colore rubro; vasa sanguinea, et lymphatica expansa et turgentia; materies calcarea in ipsis vasis lymphaticis; glandulae huc et illuc duritie affectae.

Remedia sunt quae vires augent, humorum vitia corrigunt, placant symptomata, et opponuntur caussis morbo faventibus. Nunquam igitur sine ratione et necessitate adhibenda sunt purgantia et emetica; et dum haec eliguntur, prudentia opus est. Itaque si non aliud urget, nisi alvi durities, sufficiunt clysteres; si frequentes sint acidi ructus, dejectiones fluidae et virides, usurpantur absorbentia, praecipue magnesia. Remedia quae expositis indicationibus satisfaciunt, interna sunt et externa. Inter prima celebratissimum fuit ens veneris; sed hodie praeferuntur flores salis ammoniaci martiales; quamvis sunt practici magni nominis, qui non omnino linquunt ens veneris, sed floribus salis ammoniaci martialibus conjungunt. Laudatur etiam et merito sapo venetus, utpote solvens, praesertim ubi obstructiones in visceribus abdominis non desunt. Ego in hoc casu magna utilitate quotidie adhibere soleo aliquot grana aethiopis martialis cum rhabarbaro. Commendata etiam fuit radix rubiae tinctorum sub forma decoctionis; sed si puer hanc rejiciat, dari quotidie po-

test dimidia drachma pulveris hujusce radicis cum saccharo. Praeterea adhiberi solent martialia, amara, diaphoretica, diuretica, ut salsaparilla, dulcamara, lignum sanctum, decoctio quinque radicum, succus nasturtii aquatici, etc. Inter remedia jactabatur pridem phosphas calcis, qui nullius efficaciae repertus est. Si qua adsit complicatio alia praecipiuntur remedia. Externa autem sunt frictiones cum tenui panno laneo, quae fiunt pluries in die, aut cum strigili, praesertim secundum dorsi spinam; hyeme balnea ex vino calido cum aromatibus, aestate immersiones frigidae, balnea frigida; culcitra straminea, aut crinibus farcta, quae ponderi corporis non cedat. Quoad autem diaeteticum regimen, pro lactentibus bonum sit lac, et sedulo vitentur papparia. Inquiebat Zimmerman plus ab horum abusu, quam a pravo lacte oriri rachitidem; siquidem habebat papparia ut venenum, quod obturat vasa lactea, clauditque vias nutritionis, et sanguificationis. Pro pueris lacte depulsis victus sit bonus, nutriens, siccus, nonnihil aromatibus conditus, scilicet pulvere cinnamo-

mi, nucis moschatae, macidis. Potio autem sit aqua purissima cum vino austero inveterato, et post cibum exigua dosis vini rubri et puri. Puer induatur vestibus mundis et siccis: vitentur habitationes in locis depressis, humidis, frigidis, insalubribus, immundis; sed sint in locis editis, et salubribus. Hoc tantae utilitatis est, ut pro certo habeamus, quod interdum amoveri potest rachitidem, si salubri rure educantur pueri. Monendae sunt nutrices, ut dum brachiis hos sustentant mentem intendant, ne curvent genua, et in unum latus convertant corpus. In curatione facienda inter animadvertenda symptomata in primis est ossium obliquitas. Hodie a quibusdam aptari solent machinamenta ferrea, quae ut plurimum incommoda sunt et sine ullo adjumento, si excipiantur laminae ferreae ossibus scapulae apponendae. Utiles etiam sunt ocreae ex duro corio, quae impediunt quominus ossa extremitatum inferiorum magis magisque flectantur. Tandem animadvertendum est quod diu non stent pueri, dum ossa corporis pondus sustinere non possunt.

CAPUT LIII.

DE SPINA VENTOSA ET PAEDARTHROCACE

Spina ventosa est dilatatio dolens substantiae osseae, producta ab inflammatione medullae, unde originem habent tumores, abscessus, fistulosi sinus, ossium caries. Mutuata est nomen a pungenti dolore, ut si hic dolor spina excitaretur, et a tumore spugnoso, ut si hic tumor produceretur ab aëre. Spina ventosa, et paedarthrocace sunt varietates ejusdem morbi pueris familiaris; nam spina ventosa progignitur acuta inflammatione medullae; paedarthrocace inflammatione chronica: sed spina ventosa corpus ossium, paedarthrocace eorum extremitates corripit. Utraque varietas eamdem habet indolem.

Spina ventosa invadit corpus ossium, maxime extremitatum superiorum et inferiorum, manifestatur acutis doloribus in interna parte ossium, et dum hujusmodi dolores permanent, os tumet pro ratione dolorum. Tumor fit ingens et inflammatur; partes molles circumstantes exulcerantur, et exit ma-

teries purulenta et ichorosa; formantur sinus fistulosi, et caries. Dum amplior evadit morbus, augentur etiam symptomata. Copiosior est fluxus materiarum ichorosarum, et foetidarum; ferocia sunt dolorum tormenta; deest somnus et appetitus; supervenit consumptio. Spina ventosa confundi potest cum osteosarcomate; sed cursus spinae ventosae est magis lentus, quamvis etiam lentus sit cursus osteosarcomatis, at dolores sunt magis constantes, et implacabiles, et ideo citius occidunt.

Paedarthrocace aggreditur extremitates ossium. Inter initia sunt hae protuberantiae minime dolentes, aut obscuris doloribus afficiuntur. Lento gradu augetur morbus, et conservatur partis motus donec caussa tumoris non a loco removeantur tendines. Paullatim distenditur cutis, quae fit rubra et dolens; postea formatur abscessus, qui rumpitur, et proinde oriuntur fistulosi sinus, ex quibus fluit materies purulenta et saniosa: consequitur caries; et extremitas ossis fit deformis, monstruosa; denique febris, macies, mors.

Utraque morbi varietas contingit in pueris non sanis, et infirma constitutione praeditis, quamvis appareant bene valentes, et floridi. Caussa est inflammatio, qua depravatur medulla, et hinc imminuitur laminarum ossearum cohaesio, ac inter spatia humores muccosi, oleosi cumulantur; dilatatur substantia ossium, partesque molles distenduntur quae sunt circa tumorem, inflammantur et exulcerantur. Latet dispositio in infirma corporis constitutione, humorumque vitiis; dum caussa excitans est vitiosus humor in medullam ossium insiliens, qui exstimulat et inflammat. Videtur itaque principium morbosum existere in fluidis, quod fertur ad corpora et extremitates ossium, unde inflammatur medulla. Hoc vero principium a solidorum infirmitate ortum habet.

Spina ventosa morbus est anceps et mortalis. Saepe necessaria operatio, seu partis amputatio. Si haec fieri non possit, consequitur lenta febris, consumptio, mors. Minus urget periculum si morbus sit simplex; et sedeat in parvis ossibus; magis si complicatus, et plura afficiantur ossa. Aliquan-

do natura majorem vim habet quam ars et remedia; quia non desunt sanationis exempla, quavis relicta curatione, posteaquam morbus efficacioribus remediis reluctatus est, et per plures annos perseveraverit.

Si non adsint complicationes remedia sunt roborantia, edulcorantia, aptumque regimen. Utiles sunt praeparationes ferri, aquae minerales martiales; decoctiones carnis vitulinae, ranarum, hordei Germaniae; decoctiones salsaeparillae, radicis smilacis chinae, solani dulcamarae; syrupus etiam salsaeparillae, et dulcamarae. Si vero exstent complicationes, alia conveniunt remedia. Quoad autem externa auxilia, si speranda sit resolutio, conferunt resolventia, ut emplastrum cicutae; stillicidia; litus mercurialis. Si vero possibilis non sit resolutio, adhibenda sunt emollientia, quae sedant dolores, et fluxum materiarum serosarum secundant. Cum abscessus ad suppurationem pervenerint, sunt aperiendi; sinus fistulosi dilatandi; ulcera simpliciter curanda, et adhibeantur, si expediant, mitia escharotica. Pro usu vero caustici, et ferri multa peri-

tia et sagacitas exposcitur; sed saepe non habet locum, quia morbus sedet in articulationibus, in quibus vasa, nervi, tendines, ligamenta complicantur. Si nihil juvet, ad amputationem veniendum est, quae retardari non debet, secus non amplius fieri potest.

CAPUT LIV.

DE PARALYSI EXTREMITATUM INFERIORUM

Paralysis extremitatum inferiorum aliquando evenit in pueris dum aetate crescunt. Perdunt enim paullatim vires in extremitatibus inferioribus; hinc non possunt incedere, cum non satis pedibus sustentantur. Plures vertebrae, ut plurimum dorsi; interdum cervicis; raro lumborum curvantur. Generatim inflexae vertebrae non sunt plus quam quatuor. Pueri non appetunt, non concoquunt, febre lenta et consumptione corripiuntur. Hujusmodi morbus etiam apparet ubi nulla sunt signa rachitidis; ubi dentitio fuit regularis; ubi omnes corporis

partes bene disponuntur; sed plerumque pueri sunt infirma constitutione praediti. Si nulla fuerit externa caussa; si hic morbus non adscribatur rachitidi; ponenda est pro caussa columnae vertebralis morbosa conditio, quae definiri non potest. Diversus gradus paralysis extremitatum inferiorum aut a numero vertebrarum affectarum, aut a majore vel minore momento morbosae conditionis vertebralis columnae pendere arbitror. Quidam pueri nullo moveri possunt modo; alii aliorum auxilio aliquot gressus faciunt.

Inutilia et incommoda sunt machinamenta. Remedia, cum hic morbus observetur in pueris debilibus, praestantiora sunt praeparationes ferri, et cortex peruvianus. Exterius adhibentur unguenta volatilia; frictiones; vesicantia. Ubi conjici possunt humorum vitia, ad haec apta eligantur remedia. Applicantur etiam fonticuli ad vertebrarum affectarum latera. Victus sit levis, et satis nutriens.

CAPUT LV.

DE ECLAMPSIA

Pueri saepe tentantur convulsionibus, quae interdum sunt frequentes, et tales ut ipsi cadant, et ab ore spumam mittant, et manus et caput cum rapiditate commoveant. Postea fiunt lethargici, sed cito ab hoc veterno expergefiunt, et quidquid contigerit, non recordantur. Hujusmodi morbus a primo ad septimum vitae annum non est infrequens, quod a nimia puerorum sensibilitate nascitur. Vocari potest epilepsia infantilis; sed ab Hippocrate appellatus fuit eclampsia. Interdum praevideri potest, praesertim si puer jam hunc morbum perpessus fuerit. Signa quae faciunt prospicere hunc esse aggressurum sunt in somno levis risus; difficultas reddendi urinas; stridor dentium; dolor in aliqua corporis parte. Cognoscitur vero proximus insultus, si puer invertat oculos, et livescat vultus; nam paullo post contrahuntur membra; clauduntur labia; ex ore ejicitur spuma. Post haec symptomata succedit

profundus somnus, a quo excitatur puer, qui tum videtur bene se habere; sed si caussa persistat, cito remeat insultus. Per plures caussas etiam in recens natis contingere potest eclampsia. Quod ad hoc pertinet, referam solum verba Sauvages, qui Nosol. Meth. Tom. I. pag. 575. inquit. = Recens nati ita quandoque convelluntur quod in partu laborioso nimis debilitati fuerint, quod non sufficienter nutriti sunt, hanc debilitatem ex pulso exiguo, molli, ex oscitatione repetita, ex vagitus defectu cognoscitur. In hoc casu praescribendum vini cochlear cum aliquot guttis elixirii proprietatis, vel praescribatur potio cathartica cochleatim sumenda. =

Frequentiores caussae sunt vermes, gastricae saburrae, dentitio, dolores abdominis, qualitates lactis, meconium retentum, alvi durities, serosa colluvies, vehementia nutricis animi pathemata, ut ira, terror, timor, immodica gaudia, praesertim si tempore quod valde commoventur infanti ubera praebeant, et retropulsio exanthematum. In pueris natu majoribus longae applicationes, et eorum aetati minime congruae; nocua et

venenata comesta, ut radices cicutae, baccae hyoscyami, belladonnae; lues venerea non raro in caussa sunt.

Non semper hic morbus felicem habet eventum, quin, si frequentes sint insultus, apportat vitae finem. Nunquam evenit in dentitione sine periculo, si non solum frequentes sint insultus, sed etiam diuturni. Eclampsia esse potest etiam cito lethalis, si a quibusdam potentibus caussis nascatur, ut lac sumptum dum nutrix animi affectionibus, maxime ira graviter impellitur; ut quaedam venena; etc. Tamen in hisce casibus obtineri potest sanatio, si cito adhibeantur auxilia, ut apud Sauvages plura referuntur exempla.

Pro recta instituenda curatione maxima adhibeatur diligentia in investigandis caussis et symptomatis; et ubi deprehenditur aliquod signum quod imminentem indicat esse paroxysmum, ut aliqua sensatio in artubus, continuo fiat ligatura, aut frictiones. Si temperamentum sit plethoricum, longus paroxysmus, convenit sanguinis missio a jugulari vena, aut ab arteria temporali, ut amo-

veatur apoplexia; et fiant clysteres: si contra temperamentum sit debile, et morbus proveniat a defectu virium, prosunt stimulantes frictiones; clysteres ex decoctione chamomillae; laudanum liquidum Syd., liquorem anod. min. Hoffm., tinctura castorei, etc. Si in pueris excitetur eclampsia retento meconio, levi purgante hoc est expellendum; si doloribus ventris, videndum quae sit horum dolorum origo, utrum scilicet sit nimia copia lactis, an graves nutricis animi affectiones. Animadvertere debemus, saepissime nutrices animi affectus abscondere, etiamsi graviter agitentur, maximo puerorum damno. Itaque si in suspicionem adducamur, de dissimulatis commotionibus inquirenda sunt signa quae has praeportant a philosophis et physiologis abunde tradita. Inquit Cicero lib. 3. de Orat. LVII. = Omnes enim motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum; totumque corpus hominis et ejus omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant ut a motu animi quoque sunt pulsae. = Ponamus nutricem quae velit rapidam iram dissimulare,

hanc praeter suam voluntatem externata aperit imaginatio , vultus immutatus , instabilis motus oculorum , respiratio brevis , irregulares partium motus , variumque vocis genus , ut ipse Cicero cit. lib. LVIII. scripsit = Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat ; acutum , incitatum, crebro incidens. = Ponamus aliam nutricem , quae summa perfundatur laetitia , hanc perspicuam facit , frequens risus , hilaritas oculorum , frequentia pulsus. Si alia propter aliquod imminens periculum fuerit terrore perculsa , pulsat cor propter tumultuosam sanguinis circulationem , pallor faciem inficit , tremor totius corporis , sensus frigoris , saepe perfracta musculorum vis praesertim sphincterum plerumque non desunt. Eadem fere ac in terrore occurrunt phaenomena si nutrix in sollicitum alicujus futuri mali metum fuerit conjecta , unde vigiliae , aegritudo , defectus appetitus consequuntur. Sic de aliis pathematibus dicendum est , quorum actione depravatur lac , ut ipse puer ostendit , qui prius sanus , hilaris , quiete dormiens , ipsius nutricis lac bene ferens , nulla interjecta mora fit inquietus ,

luget, statim ac sumit lac evomit, mutatur oris color, irregulares sunt pulsus, superveniunt convulsivi motus et spasmi, qui commutantur in eclampsiam.

Varia pro variis casibus remedia sunt adhibenda. Si nutrix vehementibus animi motibus fuerit peracta, generatim fiunt fotus super abdomen, injiciuntur clysteres emollientes cum oleo amygdalarum dulcium, parantur balnea tepida universalia, aliqua levis ministretur purgatio; sed si nutrix in tranquillum minime se conferat, cito permutanda est. Si autem inter caussas sint vermes, conveniunt anthelminthica: si scabiei retropulsio, danda sunt matri mane et vespere aliquot grana florum sulphuris; et ubi hoc remedium non juvat, reproducenda est scabies, infantem induendo linteis vestibus, quibus scabiosus usus sit: si esus baccarum belladonnae, statim porrigatur emeticum, et adhibeatur validum acetum; si serosa colluvies, applicatio vesicantium; si alvi durities, detur rhabarbarum, calomelanos; jalapa: si principium venereum, mercurius dulcis. Generatim eclampsia in

pueris ubi primaria est, nec bene cognoscantur caussae, curatur balneis generalibus, remediis antispasmodicis, ut sunt aliquot grana salis volatilis succini; quarta pars grani florum zinci cum saccharo, quae dosis augetur; ferrum, ejusque praeparationes, praesertim flores salis ammoniaci martiales ad aliquot grana. Transactis annis, si nihil juvisset, applicabatur nuchae cauterium actuale; quod hodie praxis aliquantum remissa fere respuit. Regulare sit regimen diaeteticum, et debilibus concedatur vinum. Si humorum vitia sint adnotabilia, praesertim scorbutica, omittenda non est diaeta lactea, quantum ferri possit. Maxime tandem juvat aëris mutatio, potissimum rusticatio.

CAPUT LVI.

DE CORYZA, ALIISQUE AFFECTIONIBUS CATARRHALIBUS ET SEROSIS

Primis vitae diebus saepe infantes premuntur coryza, raucedine, tussi, asthmate. In illis coryza affectis aegre per nares transit aër; et ex istis fluit humor solutus, tenax, purulentus, sanguineus. Difficilis est respiratio, quamvis non semper tanta sit hujus difficultas et gravitas. Si vero augeatur morbus, graviora evadunt symptomata. Margo palpebrarum ruber; deglutitio difficilior; insignis macritudo; debilitas virium; glandularum tumor. Infans in hoc statu non potest lac sugere, nec deglutire; hinc superveniunt convulsiones, et mors. Inquit Rosenstein non invenisse utilius remedium quam oleum ovorum naribus illiniendum. Ego pluries infantes vidi relaxari morbo fomentationibus aquae calidae ad nares, applicatione hirudinum ad pedes, balneorum calidorum usu.

Propter humorum pituitosorum, et serosorum colluviem non solum infantes pre-

henduntur coryza, sed etiam tussi, et asthmate. Haec mala ab humorum redundantia in pectore producuntur, dum frigidus est aër, subitaneae contingunt temperiei mutationes, et comprimitur perspiratio. Omnibus hisce caussis nervi pulmonum irritantur. Alii etiam morbi in caussa sunt, ut dentitio, gastricae impuritates, retrocessio alicujus morbidae materiae. Generatim remedia sunt pectoralia, demulcentia, levia emetica, unctiones oleosae, praesertim ex butyro cacao. Si vero caussa sit retrocessio morbidae materiae, vesicantia et diaphoretica sunt in primis praescribenda.

CAPUT LVII.

DE APNOEA

Apnoea, ἄπνοια, est respirationis defectus. Hoc vitium in recens natis est interdum congenitum. In istis tam parva est respiratio, ut haec functio absolvi non videatur; et reapse interdum cessat et enecat. Aliquando caussa est densa muccositas in

trachea; sed sine hoc congesto mucco nasci potest ab aliquo tracheae ipsius vitio. Quamvis hic morbus sit cito funereus, si caussa sit mera collecta muccositas, medicamentorum efficacia resolvi potest, et puer ad vitam reverti. Potest enim haec muccositas usu emeticorum abduci. Exhibetur itaque aliquod granum ipecacuanhae, aut aliquot guttae vini ex antimonio Huxam cum aliquo syrupo. Remedia vero sunt virtute carentia, cum caussa sit aliquod tracheae vitium, quamvis haec possint aliquantum latare vitam. Curavi puellam apnoea congenita conflictatam, optima alioquin constitutione donatam, in qua parva erat respiratio, et tam in inspiratione, quam in expiratione audiebatur obscurus sonus, qui angustiam canalis spiritalis demonstrabat. Omnia incassum pertentata fuerunt, quae tamen ad aliquot menses vitam potuerunt perducere.

CAPUT LVIII.

DE TUSSI

Tussis est morbus variae speciei; sed primum videamus quae ipsa sit. Tussis est involuntaria, violenta, sonora expiratio, irritatione laryngis, tracheae, bronchiorum producta cum excreatu aut sine. Caussae quae hanc irritationem nervorum pulmonalium inducunt, aut immediate aut mediate operantur. Etenim aut hae caussae in bronchiis et in interno pectore considunt, aut in partibus quarum nervi cum canalibus aëreis communicationem habent. Plures sunt tussis species quae molestant pueros, ut illa quae dicitur titillatoria, et in initio bronchiorum sedet, nimirum perficitur ibi titillatio tussim efficiens: alia stomachalis quae producitur ab irritatione impuritatum in ventriculo collectarum: alia catarrhalis nata a suscepto frigore, quod perspirationem pulmonalem compescit, proindeque irritatur bronchiorum membrana. Eadem caussa affert raucedinem, seu exiccationem partis superioris

bronchiorum ; quamvis oriri etiam possit ab assidua tussi , quae tracheam humore muccoso expoliat , anteaquam hujusmodi humor reparetur. Tussis catarrhalis vespere asperior est ; sputa prius sunt soluta et tenuia , postea fiunt concreta , et lutea , et ita solvitur morbus. Haec tussis non est periculosa ; sed si omnino negligatur in discrimen potest adducere. In pueris raro habet locum sanguinis missio , quia eorum fibrae facile cedunt , nec tussis impulsibus rumpuntur. Oportet vero pueri maneant in lecto ; aliquam hauriant tepidam potionem , ut est infusio florum malvae cum saccharo ; emulsio amygdalarum dulcium ; sumant aliquod cochlear syrupi de althaea ; injiciantur clysteres emollientes ; sub vesperam ut concilietur noctis quies aliquod cochlear syrupi papaveris. Alimenta non sint acida , non salita ; et concoctu sint facilia. Pro raucedine juvant eadem infusa tepida et emollientia , et eaedem regulae victus. Si tussis sit titillatoria , dandum est leve emeticum , quod etiam repeti potest : si stomachalis , conveniunt levia emetica et purgantia , ut mate-

riae gastricae plane auferantur. Verum inter tusses quae graviter affligunt pueros est illa convulsiva, quae specialem considerationem meretur, ideoque de hac modo erimus loquuturi.

CAPUT LIX.

DE TUSSI CONVULSIVA

Tussis convulsiva, aut ferina a Sydenham vocata pertussis, ignota erat veteribus. Multa probabilitate venit ab Africa, aut ex Indiis orientalibus; et primum comparuit in Gallia an. 1414. deinde et diversis temporibus per universam Europam peragravit. Hic morbus modo cum febre, modo sine febre, distinguitur iteratis conaminibus expirationis et inspirationis cum ejulatu, et suffocationis periculo, facie livida, et frequenti vomitu. Cursus morbi in periodos dividi solet a practicis. In prima periodo adnotatur aliquod symptoma catarrhale, ut constrictio narium; sensationes frigoris, et caloris; febris quae exacerbatur vespere; rau-

cedo ; tussis non tam molesta. Haec periodus modo brevis est, modo ad tres septimanas extenditur ; deinde incipit secunda periodus, in qua tussis est magis frequens et violenta ; respiratio sonora ; accessio tussis non desinit, nisi è pulmonibus expellatur paucus et densus muccus, et veniat vomitus, quem sequitur aliqua quies. Sub accessione tussis inflantur venae, cor palpitat, pulsus est velox, caput dolet, tumescit et livescit facies ut et labia et manuum ungues, oculi protuberant, aeger contremiscit ; interdum haemorrhagia ex naribus, ore, auribus, oculis. Praeterea summa debilitas, convulsiones, involuntariae dejectiones et urinae. Adnotandum est quod prius quam corripiat accessio tussis, observantur quaedam symptomata, ut inquietudo; sensus ponderis et oppressionis in pectore cum pruritu ad tracheam ; vox rauca ; et cum properet tussis accessus, puer comprehendit quidquid ante ejus oculos offertur, et inde tussi se committit. Post paroxysmum plerumque ipse animo cadit ; quamvis plures sint pueri, qui statim redeunt ad crepundia, aut poscunt

cibum et potum. Haec periodus ad plures septimanas profertur, licet interdum non tam protrahatur. Augetur excreatio mucci, qui spissescit; alvus plerumque comprimitur. Si imminuatur morbus, facilior fit inspiratio; deest ejulatus specificus; evanescit tussis. Si hoc non eveniat succedit tertia periodus. Febris quae supervenit nervosum induit characterem, quia maxima est virium depressio; pulsus est frequens, parvus, irregularis; respiratio difficilis, et interrupta suspiriis; caput dolet; aeger inquietus, stupidus, unguibus faciem et partes genitales offendit, divellit capillos; urgent tenesmus, convulsiones, vigiliae; sub noctem exacerbatio omnium symptomatum; sudor profusus: denique post plures septimanas aeger viribus exhaustus, et convulsionibus oppressus exhalat animam.

Caussa est specificum contagium. Qui semel hoc morbo laboravit, ejusdem per totum vitae cursum vivit immunis. Hujusmodi contagium per vias spiritales fertur ad pulmones, aut ad stomachum cum saliva, nervosque lacessit, unde secernitur muccus,

qui cum tussi aut vomitu redditur. Sub vehementibus tussis paroxysmis impeditur transitus sanguinis per pulmones, qui cumulatur in capite; ideoque tumescit facies, et haemorrhagiae, praesertim ex naribus contingunt.

Tussis convulsiva in lactentibus, et dentitionis tempore est discrimine plena. Facilius subigitur in pueris qui duos annos superant, et bona corporis constitutione donantur. Si haec tussis non curetur, diu persistit, et inferre potest periculum vitae; nam instat suffocatio, sputum sanguinis, macies, herniae, universalis inflatio. Ut de morbi exitu secure hariolemur, sedulo expendantur symptomata. Vomitus spontaneus esse potest utilis, quo saepe febris mitigatur; haemorrhagia narium si moderata, levamen affert; sed si immodica, pessimum est signum. Cum rariores fiunt paroxysmi, et placantur symptomata, morbus desistit; sed si paroxysmi eadem intensitate perseverant, morbus gravior fit; si extemplo omnia symptomata quiescunt, gangraena timenda est. Laeva autem phaenomena sunt respi-

randi difficultas; pectoris dolores; sitis; excreatio aut nimis copiosa, aut praeparca: propitia sunt tranquillitas somni; respiratio facilior; imminutio febris; eruptio pustularum circa labia; urina concocta; pulsus regulares. Quaevis autem complicatio periculosa est; ut si pueri sint debiles ut plurimum occumbunt. Paullo post mortem cadavera cooperiuntur pediculis, quorum forsan evolutioni diuturnus morbi cursus favet. In cadaveribus autem observatur facies tumida, ut tumidae partes genitales et lividae et gangraena corruptae; etiam intestina partim gangraena comprehensa; ani orificium dilatatum; majus hepatis volumen; vesica fellis repleta bile sine colore; glandulae bronchiales tumidae; adhaesio pulmonum pleurae costali; serum in ventriculis lateralibus cerebri.

Curationis scopus est flectere vehementiam tussis, cohibere febrem et symptomata. Quoniam pertussis est persaepe epidemica, habet etiam peculiarem indolem, nimirum modo inflammatoriam, modo gastricam, modo nervosam, ideoque varia etiam esse de-

bet curatio. Generatim si temperamentum sit plethoricum, cura incipitur sanguinis missione, quae, si oporteat, repetenda. Purgantia ut plurimum nocua sunt, et ubi purgare necesse sit, eligantur levia; et si solum alvus sit adstricta, sufficiunt emollientes clysteres. Emeticum est praecipuum hujus morbi remedium. Plures practici adhibent tartarum emeticum; sed tam exiguis dosibus, ut potius nauseam quam vomitum excitet. In pueris vero, etsi parvis dosibus porrectum, agit nimia violentia; et hinc praeferenda mihi videtur ipecacuanhae radix ab uno ad plura grana. Si quis tamen dare velit tartarum emeticum, hujus granum cum triginta granis sacchari contundatur, et in octo partes dividatur, quae cum aqua seorsim porrigantur; nimirum si prima non agat, detur altera. Inter remedia quae valde prosunt sunt vesicantia pectori applicita et diu reclusa; balnea calida manibus et pedibus, et universalia, quae fiunt etiam bis in die evidenti utilitate. Si pueri sint ab ubere ablati, juvat aliqua potio theiformis. Baglivi multum laudat muscum arboreum, praesertim

quercus. Inquit enim prax. med. lib. I. pag. m. 115. = In tussi convulsiva infantum decoctio ex musco arboreo, praesertim a quercu pendente, omnium praestantissima est, ut nos experti sumus, monente Willisio: valet quoque in aliis morbis convulsivis. = Verum ut promoveatur perspiratio, et etiam utiliter adhibentur, ut tussilago, adianthum capillus Veneris, flores violae odoratae, saponaria officinalis, phellandrium aquaticum, flores sambuci nigrae, tiliae Europeae, hordeum commune, etc. Non desunt autem nostris temporibus periculosorum remediorum studiosi, ut sunt nux vomica, phosphorus, acidum hydrocianicum, etc. a quibus seorsim sentio. In prima periodo victus sit antiphlogisticus; aër purus, et subfrigidus; aeger caligis laneis utatur. In secunda periodo, dum morbus decrescit, diaeta sit magis nutriens. Quoad autem remedia, dandum identidem est aliquod ipecacuanhae granum; etiam antispasmodica, ut castoreum, asa foetida, extractum hyoscyami, octava pars grani pulveris atropae belladonnae; sed fugienda sunt opiata, quip-

pe quae coercere possunt excreationem. Praeterea dum excreatio mucci non deest, juvant expectorantia, ut syrupus de althaea, syrupus gummosus, lohoch album, oleosa, muccilaginosa, gummi ammoniacum solutum. In fine morbi, qui non raro in hac secunda periodo contingit, convenit lac asininum, et etiam cortex peruvianus. Si vero morbus non ex toto relinquat, maxime juvat aëris mutatio, et opportuna auxilia non linquere, potissimum lac. Si vero morbus ad extremam periodum progrediatur, pro varietate et gravitate symptomatum seligenda remedia sunt. Nutrices a vino, et aromatibus, nimioque sale se abstineant; pueri cubent capite, humerisque elevatis; et noctu diuque custodiantur, ut promptum ipsis feratur auxilium, dum arripiuntur tussi; cubiculi temperies constanter aequalis et modica sit.

CAPUT LX.

DE PALPITATIONE CORDIS

Palpitatio cordis, graece cardiogmos, καρδιωγμός, est motus vehemens, irregularis, molestus hujus visceris, qui saepe sentitur manibus, spectaturque oculis. Cum cor sit viscus admodum sensile, irritabile, mobile, ejus functio facile perturbatur. Interdum aggreditur palpitatio sine anterioribus signis; sed ut plurimum observatur fortior impulsus cordis, et etiam motus organorum respirationis celeriores. Palpitatio distingui debet a tremore cordis; nam tremor est frequens contractio cordis ipsius, et quia huic contractioni respondet pulsus, non est nisi frequens sanguinis circulatio. Itaque si cum tremore deprehendatur aliqua pulsus irregularitas, tum ille ad palpitationem est referendus, in qua plerumque aliqua pulsus irregularitas adnotatur.

Cum clare manifestatur palpitatio cordis, respiratio fit celer et anxia; praecordiorum etiam adest anxietas; obtenebrantur

caput, et sensus; pulsus persaepe irregularis intermittens, debilis, obscurus, durus; crebro carotides vehementer pulsant; oscillant venae jugulares; caput dolet; dolor in regione cordis; tinnitus aurium; debilis vox; vitiatur appetitus; interrumpitur somnus; lingua albo mucco velata; urina modo rubra et praeparca, modo sine colore; vires valde languent. Si palpitatio amplior fiat graviora evadunt symptomata, aliaque plura adduntur, ut vertigines, deliquia, extremitates frigidae, magna respirationis difficultas. Cum paroxysmus cesset, pulsus remanet debilis.

Caussa proxima palpitationis cordis est vehemens systole ventriculorum cordis, quae pulsationibus arteriarum respondet. Huic palpitationi proclivis est aetas infantilis, maxime si temperamentum sit debile, et nimium sensibile. Revera sectione cadaverum nullum vitium nec in corde nec in visceribus invenitur. Duae sunt in hoc morbo caussarum species; nimirum quae directe agunt in cor, ut nimia sanguinis quantitas, et quidquid sanguini miscetur; aliae indirecte seu per nervorum consensum, ut animi pa-

themata , aut quae vim habent vehementer agitare nervos. Jos. Franch Tom. 12. pag. 405. annotatione hoc narrat de filio = quoties fragariam vescam etiam si pauca copia comederet , pulsationem cordis , sensumque lipothymiae experiebatur. = Nonnunquam in pueris palpitatio cordis symptomatica est aut secundaria , ut ex vermibus ; morbis hepatis , et lienis ; scabie retropulsa ; vulneribus capitis ; etc.

Palpitatio cordis sanari potest in pueris , maxime si curari et custodiri possint ; si vitam commodam vivant , nec ad eam sustentandam laborare cogantur. Cum enim solida majus robur adipiscantur , et imminuatur sensibilitas , circulatio sanguinis ad libramentum reducitur , et in hoc ita asservatur , ut plane evanescat palpitatio. Contra enecat , si pueri sint in oppositis conditionibus , ut ad assiduos labores adigantur. Magnum urget periculum , si morbus sit contumax ; nam in pericardio , et in pectore separantur et colliguntur serosi humores , sanguis retinetur in capite , unde facies accenditur et tumet , nascuntur organica vitia.

Referuntur historiae, quibus pro certo affirmatur, naturam per haemorrhagiam resolvisse palpitationem cordis; sed hoc contingere potest, cum hujus caussa sit nimia sanguinis copia. Sic aliae narrantur, quibus securi reddimur, palpitationem cordis pro alias crises, praecipue per eruptiones cutaneas resolvi posse; sed hoc certe observari potuit, cum expellendus esset aliquis vitiosus humor, qui una cum sanguine mixtus circulabat. Sectione cadaverum nulla cordis et vasorum deprehenditur laesio. Aliquando vero foramen ovale, aut canalis arteriosus pervius reperitur. Hoc quidem esse potest palpitationis caussa, et de hac conjecturam facimus ex colore livido, plumbeo, cyaneo integumentorum.

In primis accuratum diaeteticum regimen observetur; deinde praescribenda remedia secundum naturam caussarum. Etenim si palpitatio cordis oriatur a plethora, convenientes fiant sanguinis detractiones aut a sinistro brachio, aut pede, aut vasis haemorrhoidalibus, aut applicentur cucurbitulae scarificantes regioni cordis, et praesertim

inter scapulas; detur aliquod granum digitalis purpureae; potiones nitratae, demulcentes, refrigerantes; identidem exigua dosis cremoris tartari; balnea pedum; alimenti imminutio: si a nimia sensibilitate, extractum hyoscyami, aqua cohobata pruni lauri cerasi: si a debilitate virium, infusio frigida corticis peruviani; ferrum, ejusque praeparationes; aër campestris; victus nutriens: si ab irritatione arteriarum, digitalis purpurea; potiones cum syrupo rubi idaei: si a cachexia, decoctiones salsaeparillae, aut stipitum solani dulcamarae, vel syrupus. Si autem cordis palpitatio sit symptomatica, videndum est, qui sit primarius morbus a quo producitur. Si enim sit aliqua viscerum abdominalium congestio, adhibeantur aquae minerales tonicae, et resolventes; extracta leviter amara, ut illud fumariae officinalis: si obstructio eorundem viscerum, aquae minerales salinae; extracta resolventia, ut illud graminis, taraxaci, cichorei; salia media: si affectiones nervosae, cortex peruvianus; castoreum; asa foetida; balnea frigida.

CAPUT LXI.

DE OPPRESSIONE PECTORIS

Oppressio pectoris saepe aggreditur pueros in locis humidis et frigidis; et est species cynanches quae dici potest trachealis spasmodica. Confestim invadit modo noctu modo interdiu, quamvis saepius noctu, et tum è lecto se tollit puer, et in aliquod objectum impetum facit; facies tumet, et rubescit, sed interdum pallet; respiratio difficillima est cum ravi; suffocatio, si ructus, tussis, vomitus non superveniant. Si puer paroxysmi violentiam superet, obdormit, et bene respirat usque ad sequentem noctem in aqua redit paroxysmus. Urina est pauca et aquea; molestat alvi durities; flatus; suppressa perspiratio; ex naribus non fluit muccus; pulsus aut naturalis, aut velox, aut parvus, aut convulsivus. Pueri sunt formidolosi, anxii, plorantes; interdum supervenit delirium, subsultus tendinum, aliaque nervosa symptomata. Hujusmodi status per aliquot dies perstat; deinde

symptomata saepe graviora fiunt. Maxima est oppressio pectoris; vox rauca; respiratio stridula cum dolore; pulsus intermittens, parvus, frequens; sub actu inspirationis elevantur humeri; tumescit abdomen; erumpunt sudores super caput, frontem, pectus; manus et pedes frigidi; facies instar cadaveris; oculi excavati; ariditas oris; sitis ardens; ob timorem suffocationis non deglutitur; convulsiones; mors. Interdum pueri non moriuntur; sed in ipsis remanet oppressio pectoris. Praecipua ergo et characteristica signa hujus morbi sunt debilitas; tristitia; pulsus parvi, frequentes; oppressio pectoris; respirandi difficultas cum ravi; paroxysmorum reditus.

Caussa morbi proxima est spasmus, tracheam praesertim occupans. Hoc confirmatur periodicitate paroxysmorum; juvantibus remediis, quorum praestantissimum est cortex peruvianus; sectione cadaverum, qua nulla inveniuntur praegressa inflammationis vestigia. Videtur maxima sensibilitas puerorum esse caussa praedisponens; excitans vero quaedam aëris qualitas, quia hujusmodi

morbus in regionibus frigidis et humidis familiaris est.

Oppressio pectoris generatim anceps est; sed magis in pueris. Etiam majus est discrimen; si paroxysmi sint graviores et longiores: ita quo pertinacior est morbus, eo difficilior curatio. Inter autem signa alia fausta, alia infausta sunt. Ex primis sunt urina turbida; vomitus, diarrhoea mitis; secretio è naribus; blandus, et generalis sudor: ex alteris urina aquea, et quae saepe redditur; virium debilitas; frigus manuum et pedum; oculorum languor; faciei livor; siccitas oris; convulsiones, quae praenuntiant mortem. Sectione cadaverum nunquam, ut diximus, deprehenduntur inflammationis indicia; sed reperiuntur pulmones, ventriculus, intestina aëre distenta, et tumentia; vasa diaphragmatis, superficiei linguae, asperae arteriae turgida sanguine, quod ostendit perlati spasmi violentiam; et rami asperae arteriae tenaci mucco repleti.

Remedia sunt antispasmodica; pediluvia, maniluvia, balnea calida universalia; sinapismi suris admoti. Praestans remedium

est asa foetida, quam utilem expertus sum, et qua etiam parantur clysteres. Cum autem paroxysmi fiunt breviores, locum habet peruvianus cortex. Praeterea applicantur vesicantia collo, ad partem anteriorem et superiorem asperae arteriae; frictiones cum linimento volatili. Si alvus sit clausa, adhibeantur emollientes clysteres. Victus sit tenuis.

CAPUT LXII.

DE ANGINA TRACHEALI

Angina trachealis infantum Scotis, et modo croup vulgo nuncupata, est inflammatio laryngis et tracheae, praesertim a materie quae emanat coagulabili, et a proclivitate ad efformandas membranas cum periculo suffocationis distincta. Jampridem aliis etiam nominibus fuit vocata, scilicet anginae stridulae, anginae membranaceae, anginae polyposae, anginae suffocatoriae, tracheitidis infantum. Adnotandum est quod in principio morbi concitatur febris, et non

desunt plura catarrhalia symptomata, quae redeunt ad intervalla, et capitis gravitas, tussis cum crepitu, stillicidium seri acris ex naribus, proclivitas ad somnum, aegritudo, sternutatio, lacrymatio, oculorum rubor, dolor aurium, sub vesperam rigores, major frequentia pulsuum, interdum in facie maculae rubrae, dolent fauces, tonsillae, uvula, rubrae et tumidae glandulae submaxillares, impedita deglutitio, halitus foetidus, inappetentia, lingua albo mucco contecta, aliquando vomitus, in somno ronchus nasalis et insuetus; nam difficilior fit respiratio, et in ipso somno aggreditur tussis latrans. Mane febris remittit, sed remanet pulsus frequens, parvus, durus; sub vesperam exacerbatur febris, et graviora evadunt symptomata. Inspiratio fit cum sibilo, et expiratio cum sono obscuro; loquela operosa, molesta; aspera tussis cum peculiari sonitu; sputa pauca, muccosa, interdum cum striis sanguineis; facies tumida, rubra; alvi durities; dolor laryngis, et tracheae; hujusmodi pungens dolor tussi, loquela, motu corporis augetur; in ipsa tra-

chea adest sensus extranei corporis. Dum accedunt paroxysmi est respiratio sibila; in intervallis paroxysmorum remanet tussis, anxietas, jactatio. Quidam ad somnum propendent; alii in somno perterrefiunt; alii patiuntur tremores, praesertim maxillae inferioris; stridor dentium; risus sardonicus; convulsiones; facies livens; venae jugulares turgidae; carotides et cor fortius pulsant; aliquando exit sanguis è naribus; pulsus contractus, parvus; urina cum sedimento puriformi; interdum alvus liquida, et cum excrementis observantur membranae. Cum tussi et vomitu redditur muccus filiformis, aliquando foetidus, cum frustulis membranaceis variae formae et coloris; urget in gutture excoriationis sensus valde sensibilis; modo sputa non eduntur, modo copiosa est salivatio; bibendo periculum est suffocationis. Hic status perstat per aliquot dies; post aeger aut ad soporem propendet, aut caput manibus innixum inclinat cum facie pallida, frigido et viscoso sudore madida; oculis languidis, immotis, semiclausis, convulsis, protrusis; cornea sine splendore; superci-

liis in arcum flexis; apertis labiis; oedemate variarum partium; musculis commotis, potissimum faciei; pulsibus parvis, intermittentibus; extremitatibus frigidis; involuntariis dejectionibus. Hisce symptomatibus succedit hora suprema. Inter morbi phaenomena recensenda etiam sunt vox insolita, rauca, et ut omnes repetunt, cantui juvenis galli similis. Pueri autem quamvis tot opprimantur tormentis, usque ad finem vires intellectuales conservant. Plures summi practici dividunt morbum in duas periodos; statuuntque incipere secundam periodum cum urina sedimentum album et puriforme deponit.

Hujusmodi morbus consistit in inflammatione membranae muccosae canalis respirationis. Inflammatio autem est plus vel minus gravis et extensa; quae modo in membrana laryngis internum vestiente circumscribitur; et ideo vocata etiam fuit cynanche laryngea; modo producitur ad membranam quae asperam arteriam induit, et saepe etiam ad bronchiorum ramos. Habendae sunt ut caussae praedisponentes, dentitio; tem-

peramentum sanguineum, nervosum; tempestas autumnalis, hyemalis, vernalis; regiones propinquae mari, fluminibus, lacubus, paludibus, nemoribus: ut caussae excitantes, qualitas aëris frigido-humida, et repentinae vicissitudines; inundationes; cubicula calce recenter dealbata; aër insalubris; gelidae potiones; susceptum frigus, excalefacto, et sudanti corpore.

Semper fuit animorum aestu quaestio agitata circa membranacearum concretionum formationem, quae nullam speciem organicae compositionis objicit, et multas quoad extensionem, formam, firmitatem varietates offert. Varias scriptorum opiniones commemorare relinquo, sed in illorum sententiam discedam, qui credunt hujusmodi concretiones in morbi cursu ut in aliis inflammationibus efformari a lympha coagulabili, et etiam ab aucta separatione mucci, qui cum non expellatur a pueris, una cum lympha coagulabili in membranas convertitur, quae tracheam ambiunt.

Si simplex sit morbus periculosus est; si compositus periculosissimus. Curatione mo-

do perfecta, modo imperfecta obtinetur solutio. Si aut per urinam, aut per sudorem, aut per haemorrhagiam è naribus, aut per eruptiones cutaneas faciles contingant crises, impetratur perfecta solutio. Est bonum signum expedita excretio mucci, et sine falsis membranis; ut et respiratio facilior. Cognoscitur imperfecta resolutio, si remaneant quaedam symptomata, et non tam levia; quamvis etiam post perfectam resolutionem aliquid morbi perstat, sed leve, ut raucedo, aut tussis catarrhalis. In cadaveribus observatur tumidula facies; fauces obductae falsis membranis; glottis materiis glutinosis, et puriformibus occlusa; epiglottis et trachea ostendens praegressae inflammationis signa, et obtecta pseudo-membrana lucida, molli, alba, plus vel minus crassa, ad plures pollices sub larynge exstensa, modo tracheae parietibus adhaerens, modo non adhaerens, et velut alter canalis suspenditur, quod evenit per materiam intermediam fluidam, interdum puris similem; sed in hac deprehenduntur lacunae, quae denotant, portiones pseudo-membranae ejectas cum sputis

fuisse: ubi haec membrana terminatur, viscida materies reliquum tracheae replet; in trachea etiam reperiuntur concretiones muccosae, polyposae; in bronchiis etiam anteactae inflammationis indicia; oesophagus ruber, aut lucidus; pulmones illaesi; pleura etiam antecessam, sed levem inflammationem indicat; effusio seri in pectore; in ventriculis cordis, et praesertim in dextera auricula sanguis coagulatus; aorta, et arteriae pulmonales vacuae, venae cordis, cerebri refertae sanguine nigro; puncta rubra in cerebro, et in spinali medulla. Observationibus igitur in cursu morbi institutis, et cadaverum sectione confirmari videtur quod concretiones membranaceae formantur a lympha coagulabili, et a densata materie quae a glandulis effluit. Cum autem effingitur membrana quae tracheam circumdat, illa una superficie objicitur aëri, altera saepe non adhaeret parietibus tracheae, quia aliae manentes materiae adhaesionem impediunt. In cursu hujus morbi non est infrequens suffocatio, quia aëris transitus in pulmones inhibetur; sic semper facies tu-

met, quia reditus sanguinis a capite retinetur.

Cum morbus sit inflammatio laryngis et tracheae, haec est resolvenda; et ubi id non assequimur, oportet curentur inflammationis exitus. In primis igitur necessariae sunt sanguinis missiones è brachio, pede, vena jugulari, arteriis temporalibus, et applicationes hirudinum sterno, claviculis, lateribus laryngis et tracheae. Conveniunt etiam in initio pediluvia et balnea generalia tepida: pro potu emulsiones amygdalarum dulcium aut simplicium aut cum nitro, et etiam gummi-arabico: clysteres emollientes. Deinde applicatio vesicantium, et sinapismorum, praesertim in partibus longinquis. Quidam practici post sanguinis missionem adhibent emetica; sed haec non sunt ministranda, si inflammatio laryngis, tracheae, et bronchiorum urgeat. Chermes minerale ad exiguas doses est utile expectorans, et perspirationem secundat. Ad promovenda sputa, et pseudo-membranarum ejectionem, juvant vapores ex infuso sambuci; lacte calido cum decoctione malvae; cataplasmata emollientia

collo applicita ex seminibus lini, lacte et malva. Saepe etiam prosunt errhina, ut a polyposis concretionibus liberetur trachea; sic vapores aetherei. Inter remedia adhibenda quidam laudant mercurium, alii recusant. Hoc remedium dari potest, ubi alvus est nimis adstricta, adsunt gastricae impuritates et vermes. Cum autem nihil ferat opem proposita fuit tracheotomia, ut aëri aperiatur artificialis via; sed hac operatione nemo sanatus fuit, nec inflammatio tracheae, nec ejusdem pseudo-membranae abducuntur.

CAPUT LXIII.

DE ANGINA MALIGNA

Angina maligna, seu cynanche maligna, est inflammatio pravae naturae faucium, praesertim tonsillarum. Hic morbus quavis aetate, sed frequentius pueros corripit. Symptomata imparia sunt; sed generatim prius advenit frigus, post intensus calor; languor; debilitas; capitis dolor; diarrhoea; nausea, vomitus, inquietudo;

respiratio anxia; pulsus nunc debilis, celer, frequens, inaequalis; nunc validus, durus; postea debilis, mollis; urinae prius sunt plerumque aqueae, deinde rubrae, suffectae bile, sedimentosae; lingua nunc humida, nunc rubra, nunc albo obducta mucco; halitus foetens; vox rauca; tensio colli; calor; facies modo tumida et rubra, modo pallida et livida; oculi lacrymosi, sanguinei, inflammatione affecti. Sub vesperam omnia symptomata exacerbantur; somnus est inquietus; sudor; fauces, uvula, tonsillae rubrae, tumidae, tectae maculis persaepe albis, cinereis, livescentes, aut rubro-fuscae. Secunda aut tertia die facies, collum, pectus, manus colore roseo tumescunt; augetur febris; per varias corporis partes pustulae rubrae, maculae albae uvulae fiunt obscurae; formatur crusta nigricans, quae mox refigitur, et succedit ulcus. Eruptio coloris rosei est irregularis, et scarlatinae similis. Ut plurimum post quartam diem evanescit, et relinquit squamas super cuticulam. Cum erumpunt maculae scarlatinae similes, vehementiora fiunt symptomata, alia-

que adduntur, ut haemorrhagiae; parotides, quae tumescunt, et dolent; tumor oedematosus circa collum; noctu delirium; sopor; somnus; languor; deliquia; pulsus exiles; frigus extremitatum; foetor ab ore non ferendus; facies cadaverosa; gangraena quae magis extenditur, nimirum invadit tracheam, pulmones, et inde mors. Non semper vero morbus est ita gravis, nec semper est eadem symptomatum series observanda; nempe nec tam franguntur vires, nec ulcera tam cito transeunt in gangraenam; et id evenit cum morbus usque ab initio mitior est.

Caussa hujus morbi est contagium aut in corpore genitum, aut ab infectis corporibus transmissum. Hoc contagium facillime propagatur, maxime inter pueros et debiles, in quibus incredibilem vim virulentam explicat. Huic morbo maximopere favet aër humidus, calidus, paluster; vitia humorum; assiduus usus pravarum aquarum, pravorumque alimentorum; quaedam aëris constitutiones, unde non solum angina maligna est saepe epidemica, sed ipsa epidemia est plus vel minus ferox et lethalis.

Ex dictis apparet quam hic morbus sit gravis et alea plenus, praesertim inter pueros, illosque qui vitiis humorum inficiuntur; verum sedula observatio circa morbi cursum, et symptomatum qualitatem ad statuendum praesagium tutam aperit viam. Etenim regularis morbi cursus; non adeo immitia symptomata; horum facilis diminutio, donec eruptio decedat; urina, quae farinosum sedimen abunde deponit bonam expectationem fovent: ex adverso si cursus sit admodum irregularis; graviora symptomata, ut respiratio stertorosa; ferox capitis dolor; tonsillae nigrae; tumor, et gravis dolor glandularum salivalium, et parotidum; haemorrhagia profusa è naribus; eruptio vesicularum aqua plenarum ad collum, guttur, pectus; oculi amittunt naturalem splendorem. Ulcera vero maligna tonsillarum, et diarrhoea, habenda sunt ut symptomata vere lethalia. Aliquando in suo cursu melius est huic morbo; sed melior conditio in speciem est, quia e vestigio morbus ipse ingravescit.

Curandum est ut expellatur malignus fomes, impediatur gangraena, vires vitales

fulciantur. Nunquam instituatur nimis copiosa et iterata sanguinis missio, et ubi convenit, nimirum ubi non apparet gangraena; affectae partes valde dolent et tument; temperamentum est plethoricum; maxima prudentia fieri debet, aut haec sanguinis missio sit generalis, vel localis. Ut exigatur fomes detur emeticum, et etiam repetatur. Interdum prosunt quoque laxantia, quae magis conveniunt versus morbi finem. Ut autem removeatur gangraena, sustineantur, et corroborentur vires, eligantur cardiaca, roborantia, antiseptica. Juvat usus acidorum, praesertim mineralium, ut coerceatur humorum dissolutio, et impediantur haemorrhagiae; sed maximam fert opem vinum epicratice porrectum. Negligenda etiam non sunt remedia localia, ut fotus, rubefacientia circa collum, gargarismata discutientia, ut dilutum rosarum cum aceto; aut decoctio scordii cum aliqua gutta spiritus salis dulcificati et melle. Si pustulae albae occupent tonsillas, et imminutus sit dolor, adhibeantur detergentia, ut tinctura mirrhae, mel rosatum cum spiritu vi-

trioli; sed si dolor sit acer, gargarismata ex lacte et decoctione hordei. Cum profunda sit gangraena, ungantur partes melle rosato cum spiritu salis marini. Ut emendetur foetor oris, fiat injectio ex aqua aluminosa; nimirum in libra aquae communis solvatur dimidia drachma aluminis. Si fieri non possint gargarismata, teneatur in ore decoctio corticis peruviani cum spiritu vini et aqua cinnamomi. Pro victu jura pulli, aut carnis vitulinae cum vitellis ovorum recentium; aër sit purus, servetur mundities. Anteaquam aeger bibat, aut alimentum sumat, abluantur fauces, ut gangraenosum ichor non deglutiatur.

CAPUT LXIV.

DE SCROPHULA

Praecipui scrophulae characteres sunt tumor glandularum, maxime colli; debilitas, praesertim systematis lymphatici; vitium humorum, in primis lympharum, quae ad condensationem et aciditatem proclives

sunt. Quamobrem scrophula vera judicanda est ut morbus lymphatici systematis; qui evenit in pueritia, ut plurimum inter tertium et septimum vitae annum, dum in quibusdam infantibus paullo post ortum, et in aliis qui adolescentiam attigerunt. Vitium scrophulosum in infantibus facile corripit mesenterium; in adolescentibus pulmones. Generatim scrophula a pluribus signis cognoscitur, ut sunt caput grandiusculum; frons prominens; oculi magni, assurgentes, caerulei, humidi, aliquantum accensi; pupula dilatata; labium superius paullulum crassum; nasus tumidus, ruber; cutis subtilis, alba; corpus pingue; cranium laxitas; abdomen tumens; non raro articulationes digitorum solito crassiores, ingenium praecox. Interdum morbus non tam clare se retegit; sed sub specie alicujus simplicis glandularum tumoris adoritur, dum reapse est scrophula vera. Quapropter ubi pueritia surgunt glandularum tumores, oportet scrophulam suspicere. Animadvertendum est quod scrophula Warton, seu scrophula vulgaris quantum ad signa a scrophula endemica di-

stat. Etenim scrophula vulgaris distinguitur a glandularum tumore; naso et labro superiore tumefacto; colore floridulo; cute alba, tenui; rubore genarum circumscripto; aliisque signis supra recensitis: endemica autem a vultu tumido, decolore, terreo; crassis labiis; tristitia; segnitie; languore assimilationis; retuso ingenio. Inter initia manifestatur scrophula in glandulis cervicalibus; deinde ad alia systemata, et organa transilit. Quo circa in duas periodus dividitur. Est prima periodus quando morbus in systemate vasorum lymphaticorum sedem habet; secunda quando praetergreditur, aliaque petit systemata. Anteaquam hujus morbi incipiat cursus, in primis viis colliguntur aciditates, unde ructus acidi, appetitus irregularis, borborygmi, dolores abdominis, dejectiones liquidae et subvirides; sensus doloris ad collum, et qua serpunt lymphatica vasa; tumores abdominis; eruptiones cutaneae; affectiones pituitosae, tussis, coryza; in puellis fluxus albus è vagina. Postea in conspectum venit glandularum conglobatarum tumor, et in primis illarum colli,

et sub aures; deinde glandularum axillarium, et inguinalium. Augetur harum volumen, et mobiles constituuntur tumores. Modo aliqua ex his glandulis tumescit, modo plures, et hinc formatur catena, ut saepissime in collo deprehenditur. Tumor glandularum resolvi potest; sed crebro evadit contumax, frigidus indolens. Mox incipit irritatio, qua suscitatur lenta inflammatio, quam sequitur suppuratio; sed nunquam pus exhibet bonas qualitates. Aperitur tumor, et ab exiguis foraminibus exit materies puriformis, quae dein fit serosa et coagulationibus albuminis mixta. Postea tumores tendunt ad cicatricem, et hiatus clauduntur. Saepe informes sunt cicatrices; aliquando pertinaces sunt exulcerationes, et reclusae remanent plagae; aliquando materies diffunditur per textum cellularem, et efformantur sinus. Hic est cursus, cum morbus mitis sit. Nonnunquam vero tumores fiunt scirrhosi tam in internis quam in externis partibus; alii conjunguntur morbi, et affectiones catarrhales, et illae cutis; in puellis fluxus albus est frequens è vagina; ophthal-

miae, tumores cystici; ulcera; staphylomata quae oculi globo superveniunt; opacitas corneae lucidae. Observantur etiam sudores valde foetidi, luteo-virides; urinae sedimentosae; aurium cerumen quod abunde secernitur; oculorum lemae, et dispositio ad inflammationes suscipiendas. Cum progreditur morbus afficiuntur musculi, tendines, ligamenta, nervi, ossa; consurgunt articulationum tumores; obstructiones viscerum; plures depravantur functiones; febris hectica; consumptio.

Mihi videtur caussa scrophulae proxima esse universalis debilitas, praesertim lymphatici systematis, et perversio humorum, maxime lymphaticorum, qui ut diximus, ad condensationem et aciditatem vergunt. In statu salutis munus vasorum lymphaticorum est non solum distinctos humores absorbere, sed etiam in diversis partibus istos reddere ejusdem naturae. Etenim primum a Morgagni, post ab aliis demonstratum est, vasa lymphatica ex diversis superficiebus et cavitatibus corporis absorbere fluida diversae indolis, et haec ita miscere, ut convertan-

tur in lympham ; et anteaquam in vasa sanguinea se inferant, ad naturam sanguinis accedant. In statu itaque salutis facilius mixtiones et decompositiones in glandulis lymphaticis absolvuntur. Hoc autem vasorum, et glandularum lymphaticarum officium maximi ponderis in debilitatis statu perturbatur, proindeque condensatio, et aciditas lympharum contingere potest. Scrophula praeterea est haereditarius morbus, quippe quibusdam familiis dominari observatur. Ad scrophulam autem non solum disponuntur filii parentum scrophulosorum, sed etiam debilium et venereorum. Caussae excitantes sunt aër impurus, frigidus, humidus, insalubris, et humidae habitationes ; perversa alimenta ; pravae aquae ; in lactentibus improbae lactis qualitates. Familiares sunt scrophulae prope montes, ubi aëris temperies instabilis est. Scrophula endemica ab humido et palustri climate ; ab alimentis, et potionibus insalubribus producitur.

Interdum morbus est diuturnus, et sine gravibus symptomatis ; sed tandem haec prodeunt in conspectum : interdum vero pro-

pter symptomatum acerbitatem, subito apparet morbi gravitas, et ad alia systemata irruendum dispositio. Persaepe in pueris glandulae mesenterii corripiuntur; et hinc gravissima mala consequuntur, ut lenta febris, et consumptio. In cursu morbi nonnunquam comparet melior conditio; sed huic non sine cautela fiducia habenda est, quia saepe eadem symptomatum gravitas rursus aggreditur, idemque instat discrimen. Generatim ut lethalis morbus judicanda est scrophula, cum plura viscera, pluraque systemata implicantur.

Praecipua curatio nititur systemate diaetetico. Quapropter victus sit salubris, animalis, digestu facilis, et moderate concedatur vinum. Aër sit salubris, campestris; domicilia salubria, et munda; aestivo tempore adhibeantur culcitrae equinis crinibus repletae; praescribatur exercitatio corporis quae aetati, viribus, et morbi conditionibus congrua sit. Quoad remedia, haec interna sint levia purgantia, absorbentia, tonica ut plures plantae amarae, martialia quae vim contractilem fibrarum incitent,

emendantia vitium lympharum, ut lac, aut serum depuratum, succi plantarum ut tussilaginis, beccabungae, nasturtii, graminis, decoctio aut syrupus salsaeparillae vel dulcamarae: externa, frictiones aut cum pannis laneis, aut cum strigili, balnea calida generalia. Si haec tam interna quam externa non juvent, ad validiora veniendum est, ut sunt praeparationes antimonii, nimirum sulphur auratum antimonii, vinum antimoniatum Huxam, chermes minerale, aethiops antimonialis. Hujusmodi vero praeparationes adhibendae minime sunt; ubi ad inflammationem adest proclivitas; et aliquando hisce praeparationibus praeferendum est antimonium, ut evitetur nausea, et diarrhoea. Aliud praestans remedium est mercurius, quo resolvuntur tumores glandularum; sanantur ulcera; cutis eruptiones. Praeparationibus autem mercurii addi possunt tonica, antimonialia, narcotica. Ubi multa est laxitas, et fibrarum debilitas, aliis auxiliis ferrum, ejusque praeparationes sunt praeponendae. Inter celebrata a recentioribus practicis remedia sunt quae non solum effi-

cacia carent, sed etiam periculosa sunt, ideoque aut usurpari non debent, aut caute, si ea explorare velimus, ut sunt murias barites, murias calcis nimis irritans, arsenicum crudele venenum: nec de auro, nec de hydrochlorate aeris fuit unquam confirmata virtus. Inter vegetabilia utilia sunt tonica, et adstringentia, ut humulus lupulus; radix bardanae, et gentianae; cortex peruvianus; cortex salicis albae, castaneae, cascarillae; glandes, quarum fit infusio. Hae dividuntur in quatuor partes, torrefiunt, et reducuntur in pulverem. Hinc facta infusione, sumitur ut potio arabica, quin illi addi potest aliquid coffeae ipsius arabicae. Cum autem necesse sit adhibere stomachica, eligantur guajacum, laurus sassafras, acorus calamus. Cum opus sit comprimere irritationem, et nimiam sensibilitatem, et irritabilitatem, admodum confert solanum dulcamara, efficax etiam ad glandularum tumores resolvendos: sic cicuta, belladonna, hyoscyamus, stramonium, solanum nigrum, aconitum. Interdum vero expediunt sedantia oppositae indolis, cum nempe ingenti irri-

tabilitati et sensibilitati jungatur nimia debilitas, ut sunt castoreum, asa foetida, opium. Tempore verno praeter plantarum succos, in usum etiam veniunt extracta, ut graminis, cichorei, taraxaci, saponariae, etc. Saepe corrigendae sunt ventriculi et lympharum aciditates, et exstimulandum est lymphaticum systema; tum adhiberi solent sub carbonas sodae, ammoniacae; sed quia haec remedia sunt etiam irritantia, ut plurimum praefertur magnesia. Debilibus sunt etiam utiles aquae minerales ferrugineae; irritabilibus acidulae; quibuscunque temperamentis sulphureae; lymphaticis amarae, et salinae, quippe his continetur sulphas magnesiae, et hydrochloras sodae. Quoad externa remedia, si extrahendae sint morbosae materiae, conveniunt vesicantia, cauteria, moxa. Balnea allevant dummodo distinguatur utrum expediant, et quae conveniat temperies. Balnea frigida nocua sunt debilibus, et qui affectionibus catarrhalibus, eruptionibus cutaneis, obstructionibus, et duritiis glandularum lymphaticarum laborant. Hisce in casibus conferunt potius balnea ca-

lida, quae omnibus temperamentis congrua sunt. Ad resolvendos tumores glandularum, et tumores albos articulationum balnea universalia sulphurea, ferruginea, salina sunt aliis praeponenda; nec spernenda sunt balnea maris, praesertim si etiam maris aqua bibatur, ut leve purgans. Fieri quoque possunt balnea artificialia cum sulphure, sale, jodio, sulphate ferri, sapone, aliisque substantiis, secundum varios casus, ut cicuta, cortice peruviano, calamo aromatico. Adhibentur etiam utiliter externa resolventia, ut linimentum volatile; oleum camphoratum; ceratum ex sapone, gummi ammoniaco, cicuta, mercurio; aut ceratum diachylon cum gummi; unguenta ex mercurio, digitali purpurea, belladonna, hyoscyamo; cataplasmata cicutae; fomentationes ex aqua vegeto-minerali, aqua salina, etc. Cum tumores inflammentur, admoveantur hirudines, et aliqua levis purgatio porrigatur. Interdum hujusmodi tumores magnam duritiem et insensibilitatem adipiscuntur; tum saponem cum spiritu sacchari Jamaicae solutum valde proficere expertus sum: interdum lente

transeunt in suppurationem, et tum necessaria est applicatio emollientium, ut maturi aperiantur. Cum autem multa sint scrophularum consectaria, multa etiam possunt esse remedia pro varietate casuum eligenda.

CAPUT LXV.

DE FUNGO ARTICULARI

Fungus articularis contingit in pueris; quamvis aliquando aetate procedentibus. Ut plurimum corripit pueros scrophulos; sed non raro producitur ab aliquo humorum vitio, dum scilicet vitiati humores in majoribus articulationibus deponuntur; aut ab externis caussis. Fungus articularis est tumor mollis; dolens, sed magis in articulationis motibus, dum conservatur cutis color. Aeger caussa doloris partem tenet flexam, unde sequitur totalis contractio partis ipsius. Ossa articulationis tument, et hujusmodi tumor paullatim augetur, cutis fit aliquantum rubra; inde sequitur suppuratio. Fatiscitur cutis, et materies aquea, foetida,

sanguinea fluit; qua subter producitur fistula. Denique ossis extremitas arripitur; tum atrociores fiunt dolores; consequitur lenta febris, consumptio, mors.

Si fungus articularis oriatur ab aliqua diathesi, a peculiaribus signis cognoscitur. Si parentes laborarunt venerea lue, cum corripiat fungus articularis, primum dolent ossa, et dolor ferocior est noctu: si in caussa sit diathesis rheumatica, dolent prius ligamenta articulationis, et dolor vehemens occupat prius partes molles, post ossa: si fungus a scrophulosa diathesi ortum habet, praeter signa generalia hujusce diatheseos, anteaquam comparcat morbus, afficiuntur vasa lymphatica, et glandulae. Sedes morbi est in articulationibus cubiti, genu, pedis prope malleolum. Ossa, tendines, partes molles articulationis destruuntur. Sectione cadaverum invenitur ossium extremitas carie exesa; deleta cartilago quae extremitatem velat; ligamenta orbata forma. Aliquando cursus fungi articularis brevis est; scilicet non superat mensem, aut paullo amplius

extenditur ; aliquando perstat plures annos, sed semper exitus fatalis est.

Cum hujusmodi morbus est recens, remediis internis et externis curatur. Siquidem ut plurimum oritur a scrophula, remedia sunt eadem ac in ipsam scrophulam. Externa vero sunt vesicans quod totum tumorem tegat, et per plures hebdomadas servetur apertum ; adhiberi solet emplastrum fuliginis quod tenaciter adhaeret, et deinde sponte labitur. Primo morbi tempore, cum apparet tumor mollis, prosunt balneola ex aceto cum sale ammoniaco ; frictiones cum sapone ; unctiones mercuriales, quae valde sunt efficaces, maxime si in suspicionem venimus de latenti principio venereo. Plures practici apud tumorem suadent fonticulum.

CAPUT LXVI.

DE PHTHISI SCROPHULOSA

Vitium scrophulosum etiam in pueritia glandulas pulmonum adoritur, licet frequentius hoc eveniat in adolescentia. Glandulae ideo pulmonum durescunt, inflammantur, et in suppurationem abeunt. Signa sunt tussis sicca, puncturae pectoris, somnus inquietus, pulsus parvus celer, respiratio non expedita, defectus appetitus, nausea, tarda digestio, vomitus post prandium, linguae mundities. Deinde cum tussi aliquid expellitur spumosi mucci, pallet vultus, oculi perdunt naturalem nitorem, quae symptomata mox graviora fiunt; nam tussis magis molestat, conduntur oculi; respiratio anxia, augetur debilitas, post cibum exacerbatur febris et genae rubore circumscripto inficiuntur, calor ardens in volis manuum et plantis pedum, cutis sicca, assurgente die partialis sudor ad frontem et pectus, nubecula oleosa in urinis, sputa foetida cum striis sanguineis, sed post subviridia, lutea, sub-

nigra, spectabilior fit consumptio, magis torquet tussis, fodiuntur genae, acuitur nasus, oculi vitrei, febris eadem intensitate perseverat, tandem sputa purulenta, urina praeparca cum pinguedinosa pellicula, lingua rubra, pedes tumentes; vox debilis, excreatio imminuta, diarrhoea, sudores profusi, animi deliquia, aphonia, ungues curvantur, plane exhauriuntur vires, interitus.

Generatim hic morbus lethalis est; sed interdum si cito et diligenter curetur, si non turbent animi pathemata, si aegri salubri rure morentur, faventibus naturae viribus, feliciter hujus morbi obtinetur solutio: si contra omittatur curatio, jamque provectus sit morbus, gravibusque symptomatibus stipatus, omnis abscinditur spes. Haec vero subest, si respiratio sit facilis, calor mitis, redeat appetitus, sputa sint alba non foetida, tussis non adeo excrucians, desint puncturae pectoris, somnus sit quietus et reficiens, copiosae urinae. Si vero induratae glandulae transeunt in suppurationem, efformantur cavitates purulentae, ex quibus per sputa redditur pus, ci-

toque consequitur fati dies. In cadaveribus sparsa per pulmonum substantiam inveniuntur tubercula, quae majora et minora sunt. Copiosiora in sinistro quam in dextro sistunt pulmone, ut et copiosiora in superiore et posteriore, quam in inferiore et anteriore. Exterius sunt lutea, subrubra, subnigra; interius alba, et solida. In exiguis tuberculis nulla est cavitas; in majoribus adest veluti saccus, quo continetur pus.

Ad hunc curandum morbum multum juvat rectum diaeteticum regimen. Pro victu juscula orizae, hordei Germaniae; pulticulae ex sagu duabus partibus aquae et una lactis paratae; ova sorbilia; pisces leves. Inter morbi initia maximum adjumentum affert, morari salubri rure, sumere lac asininum vel caprinum, aliqua idonea corporis exercitatio. Utilia remedia etiam esse possunt succus herbarum recentium; cicuta; vesicantia; vestes laneae super carnes; et ubi nihil juvat, proponuntur fonticuli, setaceum, et quae compescunt symptomata, ut opium, et hujus composita ad placandam tussim; aqua calcis ad refraenandos sudores

colliquativos; exiguae doses opii ad diarrhoeam, etc. Si vires sinant, anteaquam sudores profusi erumpant è lecto surgendum est. Dum tubercula in suppurationem transeunt, oportet sustinere vires; non linquere lactis usum; illa mulcere symptomata quae magis gravia sunt.

CAPUT LXVII.

DE ATROPHIA

Distinguenda est atrophia infantum, seu nutritionis defectus a phthisi pulmonali. Symptomata atrophiae sunt universalis macies; abdomen tumescit, et durescit circa umbilicum, et dispersos offert tumores, qui totidem sunt induratae glandulae; ignavia; inappetentia; facilis defatigatio; faciei pallor, aut plumbeus color; halitus foetidus; pondus in regione epigastrica, et dolores abdominis; lenta digestio; oedema extremitatum inferiorum; alvus modo liquida, modo adstricta; tristitia; dispositio ad somnum; cutis super musculos laxa, crispata, prae-

sertim ad clunes. Patet ergo atrophiam esse progredientem maciem cum inappetentia, perturbata digestione, aegritudine, languore sine respirandi difficultate, sine tussi, sine primaria febre.

Caussa morbi est nutritionis defectus. In pueritia caussae remotae sunt primarum viarum aciditates; difficilis dentitio; vermes materiem alibilem fraudantes; aër insalubris; incommodae, humidae, non salutiferae habitationes. Frequens vero apud lactentes est atrophia propter defectum lactis, aut propter hujus pravas qualitates. Aliquando lac matris quamvis sanae, et ipsum lac bonas qualitates exhibeat, non convenit puero, qui hoc constanter recusat, et paullatim atrophicus evadit, nisi mutetur lac. Hoc quidem raro evenit, et explicari non potest, nisi admittamus, nos ab ortu natura ipsa admoneri de rebus quae juvant, vel nocent.

Sunt quaedam caussae quae nullo negotio auferuntur, ut pravum lac; nam mutatione nutricis removetur morbus. Hic vero si proveniat a diathesi scrophulosa, saepe

corripiuntur glandulae mesenterii, maximum urget periculum, nec potest facile caussa abduci. Sperandum tum est, cum non rapide progrediatur morbus; quin retinetur, et extenuantur symptomata: si contra morbus celeriter procedat; symptomata graviora fiant, ut arida macies, anxia respiratio, defectio virium, vigiliae, pulsus parvus, oedema pedum. Praeterea hic morbus saepissime in hydropem abit.

In primis curandum est, ut morbi caussa dimoveatur. In omnibus vero caussis convenit victus nutriens, roborans, digestu facilis, et capax pravos humores et morbosas conditiones corrigere. Ideo optima sunt juscula oryzae; jura pulli et ranarum; gelatinae animales, et vegetabiles; potio ex theobromate cacao; vinum moderate adhibitum. Victus autem porrigi debet per vices, et parva quantitate. Aër sit purus, campestris, conveniens exercitatio, et fiant frictiones per totum corpus. Digestio facilior redditur amaris, tonicis, inter quae cortex peruvianus, et martialia excellunt. Tonicis autem adjungantur diuretica, si oedema te-

neat pedes et crura. Necessariae dejectiones promoveantur clysteribus: saepe conferunt balnea tepida generalia, quae gradatim fiant frigidiuscula, ut paullatim roboretur corpus. Necesse vero est aliquid dicere de atrophia mesenterica, quae peculiarem considerationem meretur.

Atrophia quae contingit in pueris habitu scrophuloso praeditis, et glandulas meseraicas tumefacit, vocatur mesenterica. Non solum conjici potest ab habitu scrophuloso puerorum, in quibus tumescunt glandulae, sed etiam a quibusdam signis, praesertim a febre. Pueri queruntur profundo dolore abdominis, qui sensim augetur, dum corporis partes macescunt; explicatur febris quae sub vesperam exacerbatur; mutantur lineamenta vultus; oculi cavantur; nasus extenuatur; genae pallidae, sed febrili motu colorantur; labia tumida, et rubra; faeces muccosae, spumosae, bile suffectae; exulcerationes circa anum; nonnunquam appetitus vorax, irregularis; imperfectae digestiones; induratum, et tensum abdomen; interdum lingua albescit ad latera; deficiunt vires; cutis sic-

ca, et aspera; alvus modo soluta, modo clausa; consumptio.

Atrophia mesenterica ominosa est; magis vero si cito aggrediatur. Spem afferunt melior color, et fere naturalis vultus; mites et breviores exacerbationes sub vesperam; musculorum refectio; appetitus regularis; perfectae digestiones; residens abdominis inflatio: spes ex adverso concidit, si augeatur macies; tumidum sit abdomen; accessiones febris vehementiores, et magis extensae; epidermidis desquamatio, perditae vires.

Ad resolvendam glandularum mesenterii obstructionem; ad roborandum universum systema, in primis diaeta lactea, et selecta alimenta necessaria sunt. Pro pueris ab ubere depulsis optima sunt juscula oryzae, et jura animalia; pro illis vero qui trieteridem superant, exigua quantitas cibi animalis. Inter adhibenda deobstruentia sunt rhabarbarum, sapo venetus, qui etiam est diureticus et purgans, pueris dandus ad dosim sex et decem granorum, quae dosis est etiam repetenda; mercurialia, maxime mercurius dul-

cis, ad dosim aetati convenientem; antimonialia, martialia. Tempore autem verno juvant succi herbarum germinantium, ut farfarae tussilaginis, fumariae, beccabungae, nasturtii aquatici, etc. Porrigatur uncia hujusmodi succi per spatium triginta aut quadraginta dierum. Ministrantur etiam extracta amara taraxaci, marrubii albi, trifolii fibrini, saponariae, chelidoniae, etc.; et hiscc extractis addi possunt aliquod grana terrae foliatae tartari, aut salis ammoniaci. Inter aquas minerales praeferuntur quae continent ferrum, et etiam aquae maris. Si necesse sit alvum movere, eligendus est syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, florum persicorum, mannae; rhabarbarum, aut tinctura aquosa rhabarbari; cremor tartari. Si pueri pertinaciter respuant remedia, injiciantur clysteres ex decoctione graminis, taraxaci, bardânae, saponariae, dulcamarae. Non sunt sine fructu frictiones quae fiunt mane et vespere super totum corpus, praesertim super abdomen; balnea aquae maris prius excalefactae, sed post imminuatur calor, donec aeger perferre possit naturalem aquae

marinae temperiem. Etiam prope mare morari maxime confert.

Debilitas et macies exposcunt tonica; ideo praeter usum lactis asinae aut caprae; dantur aliquot grana carbonatis ferri. Nostris temporibus plures abutuntur jodio, unde plus quam semel graviora vidi consequi symptomata. Hoc etiam vidisse fatetur Cel. Prof. Neapolitanus De Nasca, qui in memor. de scrophulosa tabe puerorum inquit hodie abuti joduro potassi in quantitate, et in negligendis contraindicationibus, quae occurrunt, ut vivida febris, et progredientes abdominis perturbationes. Jodium, ut opinor, prudenter et exiguis dosibus porrigi debet, et tutiorem esse externum quam internum usum expertus sum. In ea etiam sum sententia, fugienda esse remedia quae suspecta habentur, et virulenta sunt, ut est hydrochloras barytis. Alia in hujus morbi cursu, adjunctisque laudantur remedia, ut infusio parata ex pulvere tostarum glandum, utpote adstringens, roborans, resolvens, nutriens, et facile stomacho toleratur. Hufeland de morb. scrophulosis pag. 114. inquit pluries

hanc exhibuisse infusionem per sex menses, et tam felici exitu, ut obstructiones pejoris characteris sine aliis auxiliis perfecte fuerint resolutae. Tamen ejus interpres Bousquet tantam hujus remedii virtutem non confirmat. Etiam cicuta est efficax in tumorem glandularum mesenterii, aut hujus plantae usurpetur succus, a decem scilicet ad triginta guttas, aut extractum simplex, aut aliis substantiis conjunctum, praesertim mercurio. Sic commendanda est dulcamara aut sub forma decocti, aut syrupi, aut extracti, utpote narcotica, resolvens, excitans secretiones. Praedicatur etiam digitalis purpurea, maxime juncta mercurialibus, ad tumores glandularum resolvendos. Hodie laudibus effertur jodurum ferri, sed cavendum ne nimis extimulet.

Inter externa remedia numerantur balnea; sed videndum quae conveniant. Interdum juvant balnea tepida aquae simplicis, interdum medicamentis composita, ut cicuta; nimirum quatuor, quinque, sex manipulis cicutae recentis. Pueri maneant in balneo per horae quadrantem; et panno

super labrum extenso, a vaporibus defendantur; et etiam ipsi respirent aceti vapores. Usus quotidianus hujusce balnei per plures hebdomadas admodum salutaris est. Aliquando apta quoque sunt balnea tonica, ut parata cortice peruviano, aut sulphate ferri, dummodo non adsint irritationes. Pro quovis balneo adhiberi possunt circa duae drachmae sulphatis ferri. Interdum magis expediunt balnea, quae nutritionem juvant, ut illa proposita a laudato Prof. De-Nasca, composita aequali quantitate decoctionis furfuris et lactis vaccini aut caprini, quippe etiam mitigant, ut inquit auctor, aestum febrilem, nimiamque fibrarum irritabilitatem. Praeter balnea fieri possunt ablutiones ex aqua cum sapone, et ex aqua calcis: unctiones ex unguento digitalis purpureae cum succo ejusdem plantae, aut ex unguento mercuriali: frictiones ex oleo petrolei, quod est resolvens et anthelminthicum. Pro usu externo usurpatur etiam cicuta, belladonna, hyoscyamus, scilicet harum plantarum vel succus, vel folia recentia et contusa. Quidam practici suadent emunctoria, quae, si-

cut sentio, inutilia sunt et nocua; quoniam irritant et debilitatem augent. Haec sunt praecipua tam interna quam externa auxilia; alia minoris efficaciae recensere relinquo.

CAPUT LXVIII.

DE TABE

Si in cursu atrophiae augeatur consumptio, et debilitas, si suscitetur febris sine tussi, tum atrophia in tabem transgressa est. Hoc evenit ubi insolubiles sunt obstructiones glandularum mesenterii quae non raro in suppurationem abeunt. Atrophia mesenterica crebro hunc transitum habet, nempe in tabem; proindeque plures scriptores atrophiam usque ab initio appellant tabem mesentericam.

Caussa hujus luctuosi morbi est magna debilitas vasorum lymphaticorum, et glandularum, quarum functio ad conservandum humanae oeconomiae ordinem maximi momenti est. Si glandulae mesenterii turban-

tur, universalis turbatur corporis nutritio; laxatur fibra muscularis; amittitur vasorum elasticitas; sanguis evadit pallidus et aqueus. Plures autem sunt caussae quae hanc debilitatem inferunt, ut aër insalubris, gravis miseria, prava alimenta, adversa fortuna, quae saluti puerorum jam cogitantium valde nocet. Inter caussas recensendae etiam sunt fasciae quibus involvuntur infantes. Inquit Alibert Tom. III. pag. 413. fascias esse digestionibus nocuas, et ita dispositionem atrophicam glandularum meseraicarum instruere. Ab hisce itaque recensitis caussis obstruuntur glandulae, praesertim si faveat corporis constitutio, et si adsint diatheses scrophulosa, aut rachitica. Ab hujusmodi obstructionibus multa gravia manant symptomata; quoniam inflammationes et suppurationes proveniunt ab obstaculo quod circulatio fluidorum in interna parte glandularum incurrit.

Etiam in hoc morbo primum juvant regulae diaeteticae; mox rectus usus remediorum tonicorum, et resolventium. Itaque pro victu assignentur juscula, optima jura

pulli, lac asininum, carnes leves recentes; cocti fructus, dummodo soluta non sit alvus. Tonica et resolventia sunt aquae minerales ferrugineae, martialia, mercurialia, antimonialia; extracta amara taraxaci, cichorii sylvestris; succi plantarum diureticarum; cremor tartari cum saccharo, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus, quae remedia ita a Burserio Vol. 8. Cap. XII. §. 147. proponuntur. = Quum oscula vasorum lacteorum, et ductus glandularum meseraicarum obstructionem patiuntur decoctio graminis, terra foliata tartari, tartarus vitriolatus. = Remedia externa in morbi initio sunt frictiones mercuriales super abdomen, dummodo prudenter fiant; et alia quae in superiori capite recensuimus.

CAPUT LXIX.

DE VERMIBUS

Saepissime pueri patiuntur vermes. A scriptoribus referuntur exempla vermium non solum in recens natis, sed etiam in fetibus in utero matris existentibus. Signa generalia vermium in pueris etiam vulgo cognoscuntur, ut pruritus narium, pavores in somno, halitus foetens, facies nunc rubra nunc pallens, diarrhoea, urina turbida, inflatio ventris, modo edendi cupido, modo nulla cibi appetentia, interdum alvus fluxa, interdum contracta, etc. Varia vero sunt symptomata pro varia vermium sede, eorumque specie. Si vermes sint in ventriculo, molestat nausea, desiderium vomendi, vomitus, cardialgia, capitis dolor, delirium, syncope, anxietas, stridor dentium; si sint in intestinis tenuibus, dolores abdominis, circa umbilicum acerbi morsus, tumidum abdomen, canina fames, ventris fluxus; si in crassis intestinis, tormina, incommodae titillationes, sensus erosionis, tenesmus, prae-

cipue si vermes in recto intestino stabulentur.

Facile in pueris nascuntur vermes, qui ut inquit Boer. §. 1359. cibos crudos, fructus horaeos, carnes, caseum edere incipiunt. Pueri ad verminationem sunt naturaliter proclives propter primarum viarum infirmitatem, et temperamentum lymphaticum, praesertim si aërem calidum, et humidum respirent, qui valde relaxat fibras, et utantur alimentis ad fermentationem et putrefactionem aptis, ut sunt vietum caseum; farinacea, epidipnides, substantiae dulces quae organa digestionis enervant. In illorum sententiam non descendam, qui spontaneam vermium generationem defendunt, sed cum plerisque credo vermes esse oviparos. Raro pueri patiuntur taenias, sed persaepe ascarides, et lumbricos. Prognosis et curatio variant pro vermium qualitate, et symptomatis. Generatim ejiciendae è primis viis sunt materiae muccosae saburrales; enecandi, et expellendi sunt vermes; flectenda symptomata; et roboranda intestina. Ergo praescribantur emetica et purgantia, ut ra-

dix ipecacuanhae ; sulphas sodae , potassae , magnesiae ; oleum ricini ; etc. Anthelminthica eligenda sunt mercurius dulcis ad aliquot grana , muscus Corsicae , saccharum anthelminthicum pharm. Ferrar. etc. Tonica , quae pueris magis conveniunt , sunt limatura ferri , ejusque praeparationes.

Ascarides sunt vermes subtiles cum tenuissimo capite. Interdum observavi esse solito longiores et crassiores ; quod etiam ab aliis fuit observatum , et forsan haec observatio fecit , ut a quibusdam duae species ascaridum statuerentur. Verum quantum potui iterato examine colligere , aut ascarides majores sint aut minores , eamdem semper structuram et proprietates habent. Horum vermiculorum praesentia cognoscitur observatione faecum , quae interdum sunt plenae , et circumdantur ascaridibus ; irritatione , et pruritu molesto in recto intestino. Minus ascarides quam alii vermes portendunt periculi , sed eos occidere et expellere arduum est , quippe copioso mucco , et faecibus defenduntur. Valentiora sunt externa quam interna auxilia , cum saepius asca-

rides in recto intestino nidificant; sed interna non sunt omnino linquenda, praesertim si externis resistunt. Interna sunt purgantia et anthelminthica, praecipue oleum terebinthinae; mercurius dulcis; diagrydium sulphuratum: roborantia. Externa sunt clysteres ex lacte tepido salito; aut ex lacte tepido et multo saccharo; aut lacte, quo sunt incocta scordii folia, vel allium, vel tanacetum: applicatio podici panniculi spiritu vini madefacti. Si vero ingens sit recti intestini irritatio, fiant fomenta emollientia; injiciantur clysteres ex aqua hordei, et lacte, amylo, substantiis muccilagineis, ut est muccilago malorum cydoniorum. Applicantur emplastra vel epitemata regioni epigastricae, et umbilicali, quae ex absinthio, felle tauri, aloe, colocyntide, oleo florum spicae parantur; fiunt unctiones unguento de arthanita.

Lumbrici cognoscuntur sensu pruritus et doloris pungentis in pluribus locis canalis alimentaris; improvisis ululatibus, aliisque vermium signis; saepe ex ore vel ex ano lumbrici redduntur. Hi vermes habent

caput cum tribus prominentiis hemisphaericis, quae acuto apice terminantur, quarum una superior, aliae inferiores. Occupant plerumque tenuia intestina; sed interdum alia loca, unde dissimilia symptomata. Dolores intestinorum maxime urgent circa umbilicum; adest stridor dentium; pruritus narium; spasmi, subsultus; somnia terrifica; dilatatio pupillae; circulus lividus circa palpebram inferiorem; salivatio; urina aquea; delirium; singultus, tussis, risus sardonicus. Cum lumbrici dirigantur versus ventriculum, nausea, vomitus, cardialgia, et interdum bulimus molestant. Pueri minoris aetatis potius laborant ascaridibus vermicularibus; at illi qui ad adolescentiam accedunt, magis patiuntur lumbricos, seu ascarides lumbricoides, praesertim si utantur lacte, lacticiniis, leguminibus, castaneis; et hauriant impuras aquas. Hi vermes sunt majoris periculi, utpote saepe gravia afferunt symptomata, ut sunt epilepsiae, convulsiones, crudeles abdominis cruciatus. In intestinis multiplicantur, et interdum remediis praestantioribus obluctantur. Inter lumbricos

albi sunt minus periculosi, quam nigri, rufi, variegati. Qui in ventriculum ascendunt, inducunt acerba symptomata, sed facile evomuntur. Cura incipienda est emeticis, si in ventriculo morantur lumbrici; at purgantibus, si per intestina reptant, praesertim oleosis et salinis, ut sunt oleum seminum ricini, sal Glauberi, Epsomense, etc: deinde praescribantur acida, amara, anthelminthica, ut succus citrorum, aurantiorum, limonum, granatorum, aqua communis cum spiritu vitrioli ad gratam aciditatem; semen santonicum, fucus helmintocorton, seu corallina Corsicae, radix valerianae sylvestris, tanacetum, absinthium, chamomilla, spigelia anthelmia, semen zedoariae, folia hellebori foetidi, filix mas, cortex granati, oleum terebinthinae, centaurum minus, scordium, trifolium fibrinum, camphora, etc. Inter amara maxime utilia sunt quae etiam purgandi vi pollent, ut aloes, rhabarbarum, colocynthis. Praeter exposita remedia merito laudantur mercurius, zincum, ferrum, sulphur; et ex gummosis

asa foetida, opoponax, sagapenum, quae etiam specifica vocantur.

CAPUT LXX.

DE FURUNCULO

Furunculus est tumor inflammatorius, sedens in textu cellulari, et in cute, quae inflammatur, et in uno aut in pluribus locis simul aperitur, magnitudine ovi columbini, circumscriptus, prominens, durus, rubro colore satur, dolens, persaepe in lentam et imperfectam suppurationem abiens. Furunculus non est solum proprius adultorum, sed etiam puerorum, et recens natorum. Ejus figura est generatim conica; basis profunda. Ut plurimum super furunculi verticem est pustula albicans, livida, sensibilis, sub qua sedet abscessus. Saepe lenta est formatio materiei, quae inter initia non laudabilis, sanguini mixta, raro abundans. In cursu hujusce tumoris non frequenter suscitatur febris, si excipiantur casus in quibus aut tumor sit amplus, aut

occupet partem sensibilem, aut eodem tempore plures surgant furunculi, quod saepe observatur in pueris, et tum torquent inquietudo, inappetentia, spasmi. In singulis corporis partibus consurgere possunt furunculi, quamvis nunquam compareant in fronte, in cute capillata, in volis manuum, in plantis pedum. Saepius sedent circa anum, et perinaeum. Animadvertendum est quod ab ipso initio centrum tumoris corripitur gangraena; ideoque materies quae suppuratione formatur non solum sanguine tingitur, sed etiam substantia gangraenosa circumdatur, quae separari debet, ut suppuratio possit expleri, et morbus habere finem.

Furunculus nascitur a caussis internis. Inquit Richerand Nosol. Chirurg. dum loquitur de furunculo nunquam caussas esse locales, sed morbum oriri ab indispositis organis gastricis, et saburris in primis viis collectis; proindeque curationem compleri praecipue evacuantibus quae caussam possunt abducere. Ego autem non inficior caussam furunculorum interdum esse gastricas impuritates; sed non convenio has semper

esse furunculorum caussam, et sola evacuantia posse caussam auferre. Saepissime enim observantur furunculi in pueris diathesi scrophulosa, venerea, scorbutica, aliisque humorum vitiis affectis. Furunculi autem qui veniunt post variolas, febres, aliosque acutos morbos ut critici habiti sunt.

Semper furunculi in suppurationem transeunt, quae lenta est, et tumoris summitatem occupat. Haec summitas, ut diximus, convertitur in pustulam albidam, liventem, admodum sensibilem, quae dum aperitur, manat aliquid puris, ut plurimum sanguinei; sed postea exit materies albida, densa, concreta quae est furunculi nucleus, qui vocatur folliculus. Haec vero materies quae offert puris speciem, est portio textus cellularis per inflammationem degenerata, et in speciem escharae conversa, quam suppuratio a partibus contiguis separavit. Pus ergo trahit secum portionem textus cellularis gangraena corruptam, cujus expulsio videtur esse inflammationis finis.

Rationalis curatio internis et externis remediis innititur. Etenim si furunculus ab

aliqua interna caussa producitur, necessaria sunt remedia quae sanguinem purgant, maxime si eodem tempore plures exurgant furunculi, aut saepe compareant. In hisce vero eligendis internis remediis, videndum quale sit vitium, an scilicet venereum, scorbuticum, scrophulosum, etc. Quaecunque autem sit origo, ut furunculi cito in suppurationem desinant, admovenda sunt cataplasmata emollientia; et tumor ubi non adhibetur ferrum, semper ad apicem rumpitur. Quidam judicant aperturam furunculorum naturae esse relinquendam, et cum apertura facta sit, levi compressione ad tumoris latera, exitum puris et folliculi esse promovendum. Necesse vero est observare quod apertura lento gradu fit, et nimis parva est, ut substantia cellularis corrupta exire possit. Quapropter melius est lanceola aperire tumorem, et levi compressione efficere, ut exeant materiae. Postea eveniet secretio boni puris, et pars ad granulationem transgredietur. Donec non appareat salutaris suppuratio applicari debent cataplasmata seminum lini: cum vero granulationes

incipiunt cavitas impletur simplici pulvillo. Scriptores, qui artificiali tumoris aperturae adversi sunt, dicunt hanc operationem esse prorsus inutilem, quia exitus folliculi non obtinetur, nisi suppuratio a partibus contiguis illum penitus refixerit; et parvas aperturas prolatari et coire, unde satis ampla efformatur apertura, ut materiae egrediantur. Quamvis vero hoc eveniat, cum tumoris aperitio sit nimis lenta, et parva; si tumor cum lanceola aperiatur, morbi cursus et sanatio maturior est.

CAPUT LXXI.

DE ENCEPHALITIDE

Interdum pueri lenta encephalitide implicantur. Signa hujus morbi sunt tristitia, propensio ad somnum, in ambulando vacillatio, standi impossibilitas, dolores obscuri capitis, somnus inquietus, nonnunquam genarum rubor, intolerantia lucis, et cujusvis rumoris, cutis calidior, contractio pupulae, inappetentia, si aeger sedeat inclinat caput,

vomitus bilis porraceae, frequens aridarum narium fricatio, alvus modo liquida modo adstricta, pulsus varius, aliquando inflatur abdomen, spasmi, convulsiones, mors.

In hac lenta encephalitide persaepe consequitur in ventriculis cerebri serosa colluvies. Tum puer si supinus cubet est quietus; si vero erigatur, est inquietus, et luget. Crebro premit sopor, pulsus est lentus, irregularis; alvus compressa; vox rauca, respiratio difficilis; iris immobilis; oculi tenebricosi, semiaperti, et strabismo detenti; convulsiones; pulsus exiles; virium destitutio; vitae finis. Scrophulosi pueri ad hanc lentam inflammationem cerebri propendent, ut et illi acuto ingenio donati; sed saepius producitur morbus laboriosa dentitione, tussi convulsiva, eruptionibus cutaneis retropulsis, remediis opiatis ad conciliandam quietem, quibus saepe nutrices abutuntur.

Hujusmodi morbus est discrimine plenus. Symptomatum gravitas indicat funestum finem, praesertim convulsiones, stridor dentium, pupulae dilatatio, et ad lucis splendorem

immobilitas. Interdum vero resolvitur haemorrhagia è naribus; aut generali, et copioso sudore. Aliquando non resolvitur; sed transit in serosam colluviem. Curatur antiphlogistica methodo; quae vero prudens esse debet, et extendi secundum morbi gradum, et symptomata. Fiant ergo congruae sanguinis missiones generales et locales; nempe applicentur hirudines retro aures, temporibus, naribus, vasis haemorrhoidalibus, ut vasa capitis exonerentur; et etiam apponantur cucurbitulae scarificantes. Aeger locetur in cubiculo temperati aëris, obscuro, ubi nullus sit rumor. Insuper adhibeantur levia purgantia, clysteres emollientes, potiones nitratae. Cum mitescit impetus febris, utilis est applicatio vesicantium, praesertim extremitatibus inferioribus. Ut fraenetur motus arteriarum juvat digitalis purpurea ad exiguas doses; et si omnino deficiat somnus, illis concilietur remediis, quae aptiora videantur.

CAPUT LXXII.

DE PROCTALGIA

Proctalgia est acerbus morbus dolore spasmodico extremitatis recti intestini distinctus. Corripit adultos, sed frequentius pueros. Interdum est primarius, contumax, continuus, lethalis; interdum est primarius et periodicus, qui redit plerumque sub vesperam, crescit usque ad dimidiam noctem, post decrescit, et ad novam lucem evanescit. Non raro incipit pueritia, et desinit aut valde imminuitur adolescentia. Semper vero remanet aliqua dispositio ad eumdem dolorem, ut devexa aetate ad affligendum redeat. Talis est structura muscularis et nervosa recti intestini, ut possint excitari spasmi, praesertim ad podicem partem nervosam et sensibilissimam, quae graece dicitur πρωκτὸς. Dolor spasmodicus cum est continuus ad desperationem adigit, quia nullam aeger habere potest quietem, nisi dolor ipse imminuatur, quod raro evenit. Paullatim perduntur vires; consequitur pallor vul-

tus, macies, et lenta febris. Continuitate spasmorum inflammatur rectum intestinum, et ut plurimum haec inflammatio limitatur circa recti finem, et interdum ad partes superiores extenditur, et suscitatur febris. Sub exacerbatione dolorum saepe superveniunt convulsiones; et si deficiat somnus plane franguntur vires, et tandem efflatur anima. Saepe recens nati patiuntur levem et brevem proctalgiam, quae producitur acrimonia urinarum, unde irritatur podex, et propter hanc irritationem assidue plorant pueri.

Caussa proctalgiae proxima est spasmus atrox. Ad hunc morbum, praesertim periodicum, praeparat puerilis aetas, temperamentum nervosum, debilis constitutio. Etenim istis caussis plerumque dolor redit quibusdam horis, maxime sub vesperam; sed in robustis, et sanguineo temperamento donatis, major est dispositio ad continuitatem dolorum proctalgiae. Caussae autem excitantes in lactentibus sunt pravae lactis qualitates; et animi pathemata nutrices perturbantia: in pueris vero majoris aetatis, tristitia ad quam plures sunt dispositi; vitiosa

humorum indoles, unde etiam circa anum producuntur rhagades, quibus gravissimus dolor suscitatur. Proctalgia est etiam symptomatica, ut quae sequitur vermes, prolapsum recti intestini, alvi fluxus. Illa proctalgia, quam in media et provecta aetate observare contingit, constanter proficiscitur a temperamento melancholico, laxa constitutione, vita sedentaria, infortuniis, gravibus et deprimentibus animi pathematibus.

Proctalgia primaria est modo plus modo minus acerba et contumax; aliquando gravissima et lethalis. In recens natis saepe, ut adnotavimus, levis est, et ad eam solvendam sufficit mundities, salubres habitationes, nutricis mutatio. In grandiusculis pueris fere nunquam ut in adultis funesta, est, in quibus post crudeles dolores crebro inflammatur rectum intestinum, et inflammationi succedit gangraena et mors; nihilominus in illis auget constitutionis debilitatem, affert maciem, et ad alios morbos, maxime nervosos disponit. Nonnunquam proctalgia redit in senectute; cum scilicet corpus ad quasdam et similes conditiones pro-

pendet, praesertim ad notabilem virium infirmitatem.

Si in pueris proveniat morbus a nimia debilitate, et sensibilitate, in primis oportet roborare corpus. Pluries inania esse vidi medicamina, et solum vitam campestrem, animumque solutum et quietum sanitatem afferre. Attamen plane remedia omittenda non sunt, ut identidem aliqua levis purgatio ex pulpa cassiae, aut tamarindorum; clysteres emollientes. Interdum clysteres ex aqua simplici calida sufficiunt ad placandos dolores proctalgiae periodicae. Etiam utiles sunt suffitus ad partem dolentem ex calidissima decoctione malvae, aut ex ferventi aqua simplici; et balnea generalia calida. Mente quieta consistant aegri, et aliquam faciant corporis exercitationem. Si superveniant gravia symptomata, ut vigilia, spasmi, convulsiones, idoneis remediis placentur. Si rectum intestinum corripiatur inflammatione, et excitetur febris, convenit antiphlogistica methodus, scilicet sanguinis missiones, applicatio emplastri cassiae, dentur levia purgantia, praesertim ex pulpa cassiae, fiant

emollientes suffitus, et clysteres. Victus sit tenuis; dum urget inflammatio tenuissimus. Cum proctalgia symptomatica sit, curatio praesertim dirigitur in primarium morbum; sed eodem tempore remediis supra expositis molestia symptomatum flectenda est.

CAPUT LXXIII.

DE TUMORE TONSILLARUM

Tumor tonsillarum in pueris et adolescentibus frequens est. Interdum una, interdum utraque tonsilla tumet. Tonsillae praeferunt corpus plus vel minus extensum, et ut plurimum basi ampla, colore subrubro, modo non interruptum, modo tuberculis distinctum. Cum tumor utriusque tonsillae mediocris est, sufficiens remanet intervallum ad deglutienda alimenta, et ad respirandum aërem; sed cum sit spectabilior in parte solum superiori est pro uvula spatium; et in hoc casu laeditur deglutitio, pronuntiatio, respiratio. Quamobrem necessaria est tonsillarum recisio, quae convenit quamvis

tantus non sit tumor, ut evitetur inflammatio harum glandularum, quae hoc in statu etiam levissima caussa suscitatur. Cum ad hunc resolvendum tumorem omnia fuerunt inutilia, adhibitae sunt plures chirurgicae operationes praeter recisionem, ut scarificationes, ligatura, caustica, cauterium actuale, extirpatio. Scarificationes vero ut plurimum non sufficiunt, quippe inducunt dumtaxat effluvium non completum: ligatura fieri non potest nisi tonsillae strictum habeant pedusculum; sed hoc stricto pedusculo recisio esset facilior, minusque dolens: cauteria sunt molesta, dolentia, non sine periculo: extirpatio est ardua operatio, et potest etiam periculosam haemorrhagiam producere. Recisio ergo est tutior et eligenda ratio, et quidem facilior. Etenim portionem harum glandularum rescindere est operatio simplex, expedita, et gravibus symptomatis non comitata.

CAPUT LXXIV.

DE HYDARTHRO

Si in articulationibus magna quantitas secernatur synoviae, ut inde elevetur et distendatur capsulare ligamentum, et efformetur tumor plus vel minus adnotabilis, dicitur hydarthrus, ὑδαρθρος. Plerumque hic morbus contingit in genu, quia in hujus articulatione multa separatur synovia, et inter tibiam et femur assidui sunt motus. Praeterea haec articulatio exposita est agentium externorum actioni; et hujus capsula est flaccida, et multa extensionis capax. Dum autem synovia diu in aliqua articulatione considit, mutationem patitur, ut et synovialis membrana. Hydarthrus offert tumorem mollem, ligamento capsulari circumscriptum, quin cutis mutet colorem; adest fluctuatio sine dolore aut pauco; nulla est molestia in motibus articulationis; pressione digitorum non servatur impressionis vestigium. Hic tumor magis comparet, ubi ligamentum capsulare minus tegitur partibus

mollibus; nunquam in parte posteriori articulationis conspicitur.

Plerumque hydarthrus lente procedit; aliquando vero rapide. Caussa proxima est defectus aequilibrii inter exhalationem et absorptionem synoviae. Caussae remotae internae et externae sunt. Inter primas est translatio materiae morbosae ad articulationes; aut aliqua diathesis, praesertim rheumatica: inter secundas est concussio, distractio; frigoris actio; et quidquid inflammationem chronicam et lentam producere valet. Hic morbus est periculosus, et difficile obtinetur solutio; interdum tamen non tantum timorem injicit, cum nempe sit recens, parum considerabilis, ejusque cursus rapide absolvatur. Semper vero articulatio ad recidivam dispositionem conservat. Resolvi autem non potest morbus, si sit inveteratus, insignis tumor, materies synoviae crassa facta fuerit. Pessima morbi conditio est, si cartilagines et ossa vitientur; nam si in tempore non fiat amputatio, excitatur lenta febris, erumpunt sudores, et diarrhoea colliquativa consequitur.

Cum morbus exhibeat phlogisticum characterem, fiant fotus, applicentur cataplasmata emollientia, hirudines, cucurbitulae scarificantes, venae sectio; victus tenuis, lac. Quum autem febris imminuitur, vesicantia circa articulationem utilem exitum serositatis producunt. Dum inflammationis symptomata solvuntur, conveniunt remedia, quae languentem vasorum lymphaticorum actionem excitent, et absorptioni extravasati humoris faveant. Quamobrem fiant suffitus resolventes; linimenta volatilia; frictiones cum panno laneo; stillicidia aquae calidae simplici, aut cum muriate sodae; ligatura comprimens. Cum morbus omnibus remediis adversetur, remanet operatio, qua extravasati humoris exitus producitur; sed prius examinandum est, utrum sit melius aperire tumorem, an morbum sibi ipsi relinquere. Etenim oportet instituere curationem, cum adsint corpora extranea; et cum tumor sit valde considerabilis. Hoc in casu operatio exponit gravibus symptomatibus, et saepe importat amputationis necessitatem; sed si non extrahantur hujusmodi corpora, et ca-

psula non exhauriatur congesto humore aeger succumbit. Cum itaque necesse sit facere incisionem, haec in uno latere articulationis fiat, et in parte decliviore. Si ad humorem abducendum facta fuerit incisio cum humor iste exiverit, non conglutinentur incisionis margines, ut fieri solet, cum extrahitur corpus extraneum efformatum in genu, sed pars tegatur plumaceolo, quae deinde spleniis et circulari fascia est comprimenda. Cum felix futurus sit eventus, cessant dolores, disperditur tumor, parcior est materies effluens. Carnes vulneris fiunt firmae et granosae; incisio tendit ad cicatricem, et paullatim, post nimirum spatium aliquot mensium aeger ad sanitatem restituitur. Rigiditas vero in genu lente evanescit, quanquam nunquam omnino dissolvitur.

CAPUT LXXV.

DE FEBRE INTERMITTENTE

Frequenter pueri febribus intermittentibus obnoxii sunt, et quantum per me observari potuit, maxime febribus quotidianis intermittentibus. Multae sunt caussae remotae quae eas in pueritia inducere valent, ut dentitio; aciditates, impuritates ventriculi; vermes; qualitates aëris. Quaecunque sit caussa febrium intermittentium, haec, ut arbitror, speciali modo agit in nervorum systema; ideoque aut febres intermittentes sint benignae, aut malignae seu perniciosae, semper ut affectiones nervosae sunt existimandae, sicut comprobant periodici recursus; efficacia corticis peruviani, vel hujus praeparationum, quae ut praecipuum remedium judicantur; et ipsae caussae occasionales quae efficaciores censentur, si specialiter in nervosum systema actionem dirigant. Cum autem pueri maxima sensibilitate instruantur, nil mirum si pravis lactis qualitatibus, difficili et laboriosa denti-

tione, aciditatibus et impuritatibus ventriculi, vermibus, etc. febres intermittentes in ipsis excitentur. Generatim utilia sunt levia emetica, aut levia purgantia; deinde cortex peruvianus, aut aliqua hujus praeparatio, praesertim citras chininae. Utilis est etiam applicatio pulveris chinaechinae madefacti circa epigastricam regionem. Cum pueri sunt lactentes cortex peruvianus nutrici est porrigendus. Si febres intermittentes sint complicatae, cortici peruviano addenda sunt remedia, quae magis expedire creduntur.

CAPUT LXXVI.

DE FEBRE VERMINOSA

Aetate infantili frequens est verminosa febris cum aliis morbis facile confundenda. Idcirco sedulo observentur symptomata, quae eam certius declarant. Si hujusmodi febris non bene cognoscatur, et negligatur, in febrem nervosam converti potest. Contingit frequenter in pueris debilibus, et lympha-

tico temperamento instructis, pravis alimentis enutritis, in locis calidis et humidis degentibus; et signis vermium propriis comitatur, nimirum doloribus pungentibus ventriculi et intestinorum, particulari halitu, lingua sordida, nausea, vomendi desiderio, narium pruritu, dilatatione pupillae, facie pallida, etc. Si symptomata non sint gravissima; si prompta, et recta fuerit curatio, adhibitis nempe purgantibus et anthelminthicis, superari potest morbus: si contra persistant vermes, si symptomata magis ferociant, quamvis conveniens et efficax sit curatio, timendum est, ne febris transeat in nervosam, et funestus finis consequatur.

Inter initia morbi saepe lingua obducitur sorde, et instat desiderium vomendi. Tum convenit leve emeticum, ut radix ipecacuanhae, quae aliis emeticis praeferenda mihi videtur, quamvis plures expertissimi practici laudent vinum antimoniale Huxam. Aliquando est ingens fervor et impetus vasorum, qui temperandus est potionibus ex succo mali medici et saccharo, quibus addi

etiam possunt aliquot nitri grana; aut ex syrupis refrigerantibus, ut est syrupus rubi idaei. Joseph Franch proponit sequentem formulam compositam octodecim granis nitri, duabus drachmis muccilaginis gummi arabici, duabus unciis aquae rubi idaei, et uncia syrupi ejusdem, cujus quavis hora detur parvum cochlear. Certum est omnes potiones jucundas facilius porrigi pueris, ut sunt paratae ex aqua fontis et syrupo rubi idaei, aut syrupo acetoso, aut de ribesiis, quibus simplicibus potionibus addi possunt aliquot nitri grana. In cursu vero hujus febris rursus comparent signa, quae indicant in ventriculo et intestinis adesse impuras materias, depravatos succos, et vermes. Tum necesse est repetere purgationes, sed caute, ne plus nimio extenuentur vires. Insuper cum multa sit sensibilitas, et irritabilitas puerorum semper satius est adhibere levia purgantia, ut sunt syrupus de cichorio cum rhabarbaro, syrupus florum persicorum, syrupus mannae, aut ipsa manna; injicere clysteres, et facere emollientes fotus, praesertim si adsit abdominis tensio. Oportet etiam aptis

remediis flectere graviora morbi symptomata. In hac enim febre saepe torquent tormina; et ideo juvat oleorum usus, praesertim olei amygdalarum dulcium; aut propter stimulum vermium nervosa symptomata; et tum opem ferunt liquor anod. min. Hoffm., spiritus fuliginis, spiritus C. C. succinatus in aliqua aqua stillatitia; interdum vero haec satis non sunt, quia fere eadem manent symptomata. Hoc in casu ad alia remedia confugiendum est, inter quae praestans est valeriana sylvestris, cujus fit infusio, utpote magis apta pueris. Infundi itaque potest dimidia octava radicis valerianae in sufficienti quantitate aquae fervidissimae, et duabus unciis hujus colatae infusionis addatur uncia syrupi chamomillae, et quovis bihorio detur parvum cochlear. Juvant etiam clysteres ex asa foetida et lacte; scilicet paratur clyster ex scrupulo asae foetidae, vitello ovi subactae et quatuor unciis lactis vaccini. Dum autem supervenit sopor aut delirium, applicentur vesicantia suris vel femoribus, et sinapismi pedibus; sed vitanda est vesicantium applicatio, ubi sunt si-

gna colliquationis in sanguine. Pro victu jura carnis vitulinae, aut junioris pulli, quibus addi potest succus mali medici; sed postea dum decrescit febris, et melius est morbo, magis aeger nutriendus est. Si tempore convalescentiae non bene se recolligat, adhibeantur tonica remedia, maxime martialia; proponatur campestris aër, corporis exercitatio, secundum aetatem, et corporis vires; et magis convenientia alimenta.

CAPUT LXXVII.

DE FEBRE PHLEGMATICA

Nonnunquam pueri corripiuntur febre quotidiana continua remittenti quae exacerbatur vespere et remittit mane, viscoso et in toto corpore praevalenti humore producta, quae ab Avicenna phlegmatica fuit nuncupata. Huic febri praesertim parati sunt pueri lymphatico temperamento praediti, et pravis alimentis aliti, humidasque regiones incolentes. Interdum paroxysmi incipiunt sensu frigoris; sed saepius calore miti, inae-

quali cum pulsu aliquantisper celeri, frequenti; urinae sunt fere naturales, pauca sitis; facies tumet, et pallet; pedes nonnihil oedematosi; proclivitas ad somnum; tristitia. Hujusmodi febris est tenax; prosternit vires, et periculosa evadit. Ubi enim augetur aquosus latex; affert hydropem, viscerum obstructiones, et febrem hecticam secundariam.

Emendandus et minuendus est praevalens humor; promovendae sunt separationes, et roborandae vires; ut morbi resolutionem assequamur. Si in initio haec serosa colluvies occupet praesertim ventriculum et intestina, ministretur leve purgans, et etiam leve emeticum, ut insensibilis perspiratio excitetur. Deinde concitanda est separatio urinarum; ideoque conveniunt decoctiones et syrupus quinque radicum aperientium, oxymel scilliticum, tinctura scillae pharmac. Ferrar., salia media, etc. Victus in morbi initio sit talis ut satis sustineat vires, ut jura carnis vitulinae aut vaccinae; juscula: postea augeatur, cum decrescat morbus.

CAPUT LXXVIII.

DE FEBRE GASTRICA PITUITOSA

Febris gastrica pituitosa progignitur in pueris materie pituitosa, praesertim in ventriculo et intestinis collecta. Ab hac ipsa materie cognoscitur, quae operit linguam; saliva viscosa; inappetentia; nausea, et vomitu materiae viscosae et pituitosae; pauca siti; gravitate capitis; urina tenui, cruda, decolore, subjugali; difficultate respirandi; molesta deglutitione; ulcusculis in ore. Haec febris apud pueros cachecticos, improbis alimentis eductos, et locis humidis incolentes, familiaris est. Si morbus sit simplex, ejus cursus pluribus septimanis absolvitur; et si gravibus non societur symptomatibus, si validae sint vires, et prompta fuerit curatio, speranda salus est: ex adverso si extent complicationes, si langueant vires, si plura et gravia sint symptomata, retardetur curatio, magis magisque diruantur vires, funestus exitus consequitur.

Pituitosae materiae in ventriculo et intestinis cumulatae emeticis, et purgantibus eliminentur. Quamvis etiam in hoc casu juvet radix ipecacuanhae; efficaciora sunt antimonialia, praesertim vinum antimoniale Huxam. In uncia syrupi simplicis misceantur duo scrupuli hujus vini, et adhibetur cochleatim usque ad vomitum. Cum vero materia pituitosa in intestinis stabuletur, adhibeantur purgantia, sed prudenter, quia in hoc morbo ad fluxum ventris maxima est dispositio, et virium debilitas facillime augetur. Nunquam ideo conveniunt potiones acidae, quae magis prosternunt vires; sed potius eligantur quae perspirationem et alias separationes promovent. Si tam cito evertantur vitales vires, hae sunt sustinendae; si premat capitis dolor, aut sopor, applicentur vesicantia extremitatibus inferioribus, et sinapismi plantis pedum. Si sit complicatio vermium, quae in pueris frequens est, molesta explicantur symptomata. Si vermes extimulent cryptas muccosas ventriculi et intestinorum magis muccositates congeruntur. Quapropter si signa testantur de prae-

sentia vermium, usurpentur anthelminthica, potissimum quae validiora creduntur, ut mercurius dulcis, aethiops mineralis, semen santonicum, corallina Corsicae, mixtura quam compono ex aqua theriacali, florum aurantiorum, melle optimo, semine santonico, corallina Corsicae, aethiope minerali, quam semper efficacissimam expertus sum. Victus in vigore morbi sit tenuissimus; sed majoris substantiae, cum hic minuatur. Si convalescentes sint debiles, nec pristinae sanitati plane restituti, habeantur consilia, quae pluries commemoravimus. At hoc de curandis pueris satis sit.

FINIS.

INDEX

DE PUERORUM MORBIS

DE PUERORUM MORBIS

NIHIL OBSTAT

P. Prof. Carpi e Colleg. Archiat. Urb.

IMPRIMATUR

F. Th. M. Larco O. P. S. P. A. M. S.

IMPRIMATUR

F. A. Ligi Arch. Icon. Vicesg.



